DE CATULLIANORUM CARMINUM RE GRAMMATICA ET METRICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE XX. MENSIS JULII A. MDCCCLXXII

HORA XI

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

ADOLPHUS REECK

MARCHICUS.

ADVERSARII ERUNT:

PAULUS NEUMAN, CAND. PHIL.

PAULUS PIETSCH, STUD. PHIL.

VRATISLAVIAE,

TYPIS W. G. KORNII.

MDCCCLXXII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

AUGUSTO ROSSBACH

PHILOSOPHIAE DOCTORI

LITERARUM ANTIQUARUM PROFESSORI

PUBLICO ORDINARIO

SACRUM.

De Catullianorum carminum

re grammatica et metrica.

Si quis universae poesis Latinae inde a nascentibus Romanorum litteris ad aetatem usque Ciceronis historiam animo perlustraverit, cum multi et eruditi homines, inter quos primum facile locum Ennius obtinet, vir multiplex et copiosus, maxime inter se diversa poesis genera cum leviora tum graviora excolerent, neminem eorum ad carmina lyrica pangenda per diuturnum illud tempus accessisse fortasse mirabitur. Verum tamen unde hoc factum sit causae et per se sunt dilucidae et paucis indicari possunt. Primum enim civis Romanus quoniam pro ingenii natura et indole studia atque artes ita omnes tractavit, ut ad vitam usumque potissimum ea referret, fieri sane non potuit quin parum eum attingerent animi affectus parumque idoneus ille quidem esset qui totum se in voluptatibus ac doloribus quibus redundat vita humana meditandis considerandisque poetica quadam facultate collocaret. Huc accedit quod studium Graecae eruditionis, cui maxime debebant quantum in litteris bonisque artibus profecisse reperiuntur Romani propter exiguum quod illis temporibus inter duos hos populus intercedebat usum atque commercium, nondum tam vulgare communeque fuit quam postea; etenim etsi singuli quidam homines nobilissimi velut Scipiones et Laelii assiduam Graecis litteris operam impendebant, tamen plerique severiores patriae amici inprimis Cato metuentes ne peregrina disciplina recepta mores

et instituta vitae resque domesticae corrumperentur, omnibus viribus nitebantur ut tale periculum a republica propulsarent. Quod quidem mutatum est sub finem septimi ab urbe condita saeculi non rerum modo publicarum conversione, sed etiam novis quas litterae Romanae inierunt viis rationibusque maxime memorabilem. Et illud quidem paullo post aptior erit locus explicandi, hoc vero ut accuratius pleniusque quoad res postulat inquiramus, satis cognitum est quam cupide Romani illa aetate fontes Graecarum litterarum uberrimos adirent ex iisque praecepta elegantioris vitae et politioris humanitatis haurirent. Nam sicuti Graecorum et philosophorum et rhetorum et grammaticorum omnia in urbe plena erant ac referta iisque primorum hominum aedes patebant, ita civium quisque Romanorum qui cum in aliquo numero et honore vellet esse tum nomen hominis vere urbani sibi vindicaret, omne quod reliquum erat otium studiis Graecis navabat, praesertim cum in dies latius haec sententia vulgari coepta esset qui subtiliorem quandam rerum cognitionem sibi peperisset, eum multo etiam efficaciorem fore ad rempublicam bene administrandam ad summosque in ea honores capessendos. Tanta igitur vitae studiorumque Romanorum mutatione necessario effectum est, ut litterae quoque eorum in novas formas transirent, quippe cum scriptores aliquanto diligentius quam antea Graecorum exemplis se applicarent eaque si non superare, tamen quantum fieri potuit exaequare studerent. Quod in primis testantur Sallustius historicus et Catullus, egregius Romanorum lyricus poeta[1]). Nam cum praecedentibus quidem temporibus poesis nisi ad reipublicae populique rationes non se adiunxisset, primus eam adhibuit qua sua ipsius cogitata et sensa exprimeret ac designaret. At poeseos tamen lyricae Catullianae quae proprie dicitur vim et naturam si perpendimus et consideramus, tantum illa abest ut ex amore patriae ac libertatis originem traxerit indeque materiam sermonis uberrimam repetiverit, id quod magnam poetarum Graecorum

---

1) cf. Teuffelius in hist. litt. Rom. p. 357. — Ceterum in hac re plurimum valet Niebuhrii iudicium qui in hist. Rom. III. p. 127 Catullum omnium poetarum Latinorum facile principem fuisse non dubitavit contendere nec ab eo dissentire videtur Mommsenus, hist. Rom. III.³ p. 585.

partem divino quodam ardore et impetu ad carmina condenda inflammasse constat, ut de amoris amicitiaeque gaudiis ac doloribus eleganter disserat. Neque vero mirari hoc quidem licet: pro temporibus enim illis corruptissimis quibus genera virtutis ea quibus maiores Romanorum praestiterant, vix etiam in libris, nedum in moribus reperiebantur (cf. Cic. pro Caelio 17, 40) ubi indomitis cupiditatibus omnibus suam quisque utilitatem captabat nec gradu, sed incitato cursu in luxuriam mollitiemque cives se praecipitabant, non potuit utique fieri, quin eorum etiam studium civitatis liberae tuendae magis magisque languesceret et tandem omnino extingueretur. Atque haec morum depravatio quae quantum Caesarem post eiusque mortem Octavianum in consiliis quae de republica evertenda ceperant exsequendis adiuverit neminem fere fugit, nec non miserrimus civitatis Romanae status ille ac condicio satis sane impedimenti loco erant quo minus lyricum poesis genus nec Ciceronis nec proximo Augusti saeculo formam vere popularem indueret. Itaque et antea et postea factum videmus, ut quaecunque ad rempublicam quidem pertinentia versibus explicarentur, ea fere semper poetae satiris et epigrammatis persequerentur et celebrarent. Contra in vita privata quae ex consuetudine hominum et gratissima et acerbissima singulis multa oriuntur nec non consimiles huius modi causae aliae extrinsecus oblatae satis latus erat campus, in quo exsultare posset poetarum lyricorum oratio. Et sane quidem illa qua Catullus vixit aetate haud exiguam poetarum multitudinem extitisse qui studiorum communione et familiaritatis vinculo coniuncti in carminibus maxime amatoriis et lascivis elaborarent, pluribus veterum testimoniis memoriae proditum est: inter quos praeter Catullum Ovidius Trist. II., 431 sqq. Calvum Ticidam Memmium Cinnam Anserem Cornificium Catonem Hortensium Laevium[1]) enumeravit. His autem poetis omnibus ceterisque quorum carmina ad nostram memoriam non

---

1) Huius scilicet poetae nomen in librorum scriptura „Servi“ delituisse communi virorum criticorum fere omnium consensu Heinsius recte percepit collato inprimis loco Gelliano XVIIII. 9, 7. Praeterea nomina et libros eorum, qui studia horum poetarum explicaverunt, indicavit Schwabe Quaest. Catull. I. pag. 311 (cf. etiam p. 310).

pervenerunt quidem integra, sed unius Calvi fructibus ingenii exceptis omni prorsus venustate et elegantia fide antiquitatis caruerunt, palmam poesis longe praeripuit Catullus cum ingenii magnitudine et praestantia tum mira artis perfectione atque absolutione. Primum enim quod diximus poetam Veronensem omnium aequalium splendidissimis facultatibus praeditum fuisse concedere non dubitabit qui ad varia carminum numerorumque genera in quibus ille quid viribus ingenii valeret periclitatus est, animum adverterit et promptam eius atque expeditam in rebus fingendis celeritatem respexerit. Accedit quod Catullus animi habitu candidissimo fuit et integerrimo neque aut urbana pravitate pessimisque exemplis illo maxime tempore ubique obviis rusticam morum sinceritatem unquam corrumpi aut cupiditatibus libidinibusque adeo se occaecari passus est, ut veri rectique naturalem sensum extingueret et eorum qui se suaque consilia omnia poetae aperte crediderant fiduciam turpiter laederet ac deciperet.[1]) Nusquam vero alibi egregias has ingenii animique virtutes quas exposuimus Catulli dilucidius cognoscere licet quam in lyricis carminibus non tam exemplarium Graecorum imitatione expressis quam ipsius poetae Veronensis singulari quadam arte et indole compositis. In his enim qualis sit lyrica poesis et qualia officia sint quae a poeta vere lyrico praestanda efflagitentur, luculento primus exemplo demonstravit. Est sane Catullus plenus ut ita dicam poesis et venustatis et gratiae et elegantiae nec verba aucupatur aut formas quibus sententias eloquatur, sed dulcissima et suavissima sua quaeque sponte ex intimo poetae pectore fluminis instar profluunt: carmina eius amatoria tantam vel gaudendi vel dolendi vim veritatemque spirant ac testantur quantam vix in alius cuiusquam poetarum Latinorum versibus deprehendes. Quocirca et si amoris vehementiam illam et fervorem quo Catullus Lesbiam suam amplexus est nobiscum reputabimus et si eundem principem respiciemus fuisse qui diversis metrorum generibus melicae quidem poesis Graecae scienter eleganterque uteretur, vix

---

1) Hoc ipse poeta identidem ingenue fatetur in carminibus LXXVI. et CII. Ponimus autem carminum versuumque numeros eos quibus Schwabius in editione sua Gissae 1866 usus est.

temperare nobis poterimus quo minus Catullum fere eodem atque poetas lyricos Graecos loco habeamus.

Verum enim vero qua animi impotentia et quasi ferocitate in amoribus fuit poeta Veronensis, eadem se abripi passus est cum aut amicos et puellas infideles castigavit aut gubernatores reipublicae qui ne statum liberae civitatis mutarent in iustissimam suspicionem venerant, iamborum telis petivit. Nec vero causas illas quibus motus Catullus lusus amatorios pristinos subito aspernatus se ad novum quoddam carminum genus contulerit, difficile explicabis, si ad dolores et acerbitates gravissimas quas ex Lesbiae potissimum amoris consuetudine perceperat animum attenderis. Atque hac iniquitate fortunae qua omnes quas conceperat spes vitae beatae irritas et homines sancta fide prorsus destitutos esse vidisset, nimis exacerbatus simulque impulsus videtur fuisse ut vitia hominum et perversitates studiose indagaret et severe perstringeret. Qua in re quam famosis carminibus eos qui reipublicae tunc praeerant, in primis Caesarem eiusque sodalem Mamurram flagitiosum persecutus sit cum aliorum scriptorum (cf. Tacitus ann. IIII., 34 et Suetonius vita Caes. 73) tum ipsius poetae testimoniis satis constat. Odia tamen illa acerbissima quibus Caesarem Catullus vexavit non ita ut Schwabio l. c. pag. 185 videtur explicanda esse, ut poetam Lesbia in perpetuum derelicta et hominum fiducia omni abiecta Caesari enixe se opposuisse suspiceris, Ribbeckius in libro de Catullo Kielae 1863 p. 59 not. 34 optime docuit. Itaque non errabimus iudicantes quem ad modum ceteros eius aetatis poetas e. g. Furium Bibaculum et Licinium Calvum ita etiam Catullum per totum vitae cursum propugnatorem reipublicae fuisse eoque vehementius Caesarem „unicum imperatorem“ exagitavisse quod hunc non solum regiae dignitatis appetentissimum sed etiam flagitiis omnis generis deditissimum esse videret.

De utroque igitur poesis genere et lyrico et iambico, in quo singularis Catulli proprietas quaedam cernitur quoque maxime nomen et famam consecutus est (cf. Quintit. X., I, 96) postea quam vel temporum quibus singula quaeque carmina in lucem prodierunt rationibus neglectis idoneas ob causas primo loco verba fecimus reliquum est ut de iis poematis breviter agamus quibus Catullum non tam suos ipsius quam alienos sensus aut

vertendo explicasse aut imitatum fuisse indiciis multis probatur. Quod unde evenerit omnino non est ignotum. Illis enim temporibus quorum rationes ex parte iam supra illustravimus, cum Romani et frequentibus itineribus in Graeciam factis et concursu hominum nobilium et litteratorum indidem Romam in dies crescente notitiam Graecarum litterarum accuratiorem sibi comparare coepissent, quid mirum erat quod minus veterum quam recentiorum scriptorum quos Alexandrinos appellare consuevimus exemplaria in manus eorum inciderunt? Quare ut apud Graecos tunc carmina epica et elegiaca poetarum Alexandrinorum potissimum in usu erant, ita etiam Romani haec genera poesis aetate Ciceronis et Caesaris studiose lectitabant et imitabantur.[1]) In primis autem erant horum aequales minores qui carmina quaedam illorum Graecorum aut in Latinum sermonem converterent aut vestigia eorum anxie prementes quid sua quisque ingenii facultate posset experirentur, ita scilicet ut tam ex apparatu rerum geographicarum et mythologicarum splendidissimo quam ex orationis insolentia versuumque ratione artificiosa, quibus rebus omnibus Alexandrinae poesis exempla nimis obscurata erant, more apium sedulo mel colligerent eoque carmina paucis exceptis aut praematura aut immatura conglutinarent (cf. Ribbeckius l. n. p. 13 sq.). Atque hanc sui temporis consuetudinem praeter alios quorum nomina ex Ovidii loco Tristium iam attulimus quique familiam quandam efficientes nomine „doctorum“ a non nullis designabantur,[2]) etiam Catullus secutus est in plerisque carminibus elegiacis partim ad exemplaria Callimachi elaboratis partim ex iisdem Latine expressis: id quod praecipue cadit in comam Berenices ad Hortensium oratorem missam. Forsitan huc etiam pertinet epyllion illud de nuptiis Pelei et Thetidis, quod si argumentum mythologicum et frequentem a re digressionem orationis in eo perspicuam consideras, cum imitationem poetae cuiusdam Alexandrini redolet tum propter manifesta quaedam vestigia, quae Hertzbergius, convers. Germ. (a. 1862) p. 131 sq. recte deprehendit, ex Graeco carmine Callimachi quem potissimum Riesius, mus. Rhen. XXI. p. 498—509 intelligi vult,

1) cf. Mommsenus hist. Rom. III. p. 570 sq.

2) cf. Cic. de divinat. II., 64, 132. Schwabe l. n. p. 311 sq.

paene totidem verbis a Catullo translatum esse quam maxime est probabile.

Ceterum in carminibus his et similibus etsi negari non potest multa inveniri quae minus grata sint atque laudabilia, tamen ne desunt quidem vere admirabilia et poeta Veronensi dignissima. Moneo tantum carminis LXIIII versus illos 132—202, quibus Catullus imaginem quandam Ariadnae in Naxo insula perfide a Theseo desertae et graves querellas effundentis pulcherrime descripsit. Et insignem huius loci venustatem ne posteriores quidem poetae non perspexerunt, in primis Lygdamus apud Tibullum et multo magis Ovidius.[1]) Verum tamen ut non modo ab aequalibus sed etiam ab hominibus elegantibus saeculi Augusti carmina Veronensis poetae magno favore excepta studioseque lectitata sunt, ita ne hoc quidem tempore defuerunt qui nimiam iis laudem tribuerent, unde Horatius Sat. I., 10, 19 Hermogenem eiusque simium „nil praeter Calvum et doctum cantare Catullum“ vehementer irrisit. Praeterea quam saepe diligenterque nobilem Catulli poesim cum Culicis tum Ciris auctor imitando effinxerit post disquisitiones virorum eruditorum[2]) nemo hodie nescit. Atque plane eadem poetae admiratione qua ducti singulas ab eo sententias mutuati sunt, factum est ut post Augusti aetatem non nulla etiam metrorum genera quibus valde Catullus delectatus est, praecipue iambos et hendecasyllabos usu probarent.[3])

Quibus rebus expositis superest ut de orationis versuumque conformatione quae non minima ars est Catulliana, pauca addamus. In utroque enim genere plurimum cum a Lucretio aequali tum a prioribus poetis Latinis eo differt, quod cum longe quam illi fecerunt cupidius Graecam quidem proprietatem affectaret, maiorem etiam verborum numerorumque concinnitatem assecutus est. Etenim elegantiae summae ubique studiosus Italicos modos non tantum novo carminum et metrorum genere auxit, verum etiam in legibus versuum subtilioribus quas

---

1) cf. M. Hauptius in indice lect. Berol. aestiv. a. 1855 p. 6 sq.

2) Vide Silligium ad Cirim p. 155 sqq. et M. Hauptium in actis acad. Berol. menstruis (a. 1858) p. 659—671.

3) cf. Luc. Muellerus de re metr. p. 42 et 90.

Graecae poesis auctores constituerant observandis magnam operam curamque consumpsit. Quo fit, ut in libro eius non nulla poemata nobis occurrant arte plane admirabili elaborata veluti cc. IIII. et LXIII., quorum illud iambis puris, hoc galliambis compositum est. Accedit quod Catullus in carminibus suis si non omnibus tamen plerisque eam rationem est secutus, ut sententias singulas sententiarumque complexus ad certas aequabilitatis normas astringeret[1]) in eaque re ut multis in aliis exemplo esset poetis Augusto quidem imperante florentibus. Jam vero ut de forma externa qua cogitata et sensa explicaret, optime meritus est, ita etiam sermonis usu magnum artis profectum indicavit. Quamvis enim in elegiis potissimum et in epithalamio quod vocant Pelei et Thetidis communia quaedam habeat cum Lucretio politioris quidem aetatis consuetudine extrita, sicut periodorum structuram iusto plus non nunquam amplificatam, particularum usum non ubique ad certam constantiam redactum, verborum collocationem haud raro inconcinnam et incultam,[2]) tamen primus fuit poeta reipublicae qui cum asperitates tum pravitates sermonis in priscae latinitatis monumentis fere perspicuas aperte respuit et nobili emendatoque dicendi genere, quod in prosa excoluisse Ciceronis meritum est, uti maluit in versibus faciendis. Quod cum in universum constet, tamen egregie falleretur, si quis poetam omnem temporum antiquorum recordationem studiose abiicere voluisse putaret: res longe aliter se habet. In remotiore enim Italiae parte qualis fuit Gallia Cisalpina, provincia Catullo patria, non potuit sane fieri, quin cum Romae hominum studia litterarum facilius mutarentur, veterum scriptorum memoria multo diutius obtineret (cf. Sueton. de ill. gramm. 24) ex eorumque libris poetae satis saepe novum quendam sucum et sanguinem haurientes carminibus suis colorem vere popularem adderent. Et hoc quidem vigore cum Catulli poemata magnopere excellant, non mirabimur quod in iis multae prisci, sed pauciores vulgaris vel familiaris

---

1) Qua de re scripsit O. Franke, de artificiosa carminum Catullianorum compositione Berolini 1866.

2) cf. Bernhardyus, hist. litt. Rom. p. 549. — J. D. Fussius apud Naekium ad Valerium Catonem p. 307.

sermonis formae circumferuntur, ita tamen ut poeta neque in archaismo aut vulgarismo, ut perperam loquar, neque in urbana latinitate fines temperantiae et moderationis transiisse reperiatur. Iam igitur Catullus quoniam insignem inter poetas Latinos locum obtinet, vel ideo mihi videor operae pretium facturus esse, si in eius rem grammaticam et metricam, praecipue prosodiam accuratius pleniusque inquiram.

CAP. I.

A. De formis sermonis antiqui.

Qua in re primo loco disserendum est

a. De orthographia

quam Catullus in carminibus suis videtur secutus esse. Etenim ut nostra aetate non omnibus una eademque vocabulorum scribendorum ratio pariter probatur, ita etiam apud Romanos diversis temporibus diversum scripturae genus obtinuit, cuius rei causam non ita difficile explicabis, dum modo ad unius cuiusque scriptoris naturum et mores respexeris. Nam hinc maxime factum est, ut alii in stirpibus et terminationibus verborum normam semel constitutam presse sequerentur, alii contra illorum temporum quibus vocalium consonarumque varietas certis legibus nondum coercita erat consuetudinem scribendi exprimere mallent. Et prisca haec Latinorum orthographia qualis fuerit luculentis poetarum tragicorum comicorumque qui tertio a. Ch. saeculo floruerunt testimoniis satis cognitum habemus.

Sic veteribus in usu fuit ubicunque geminatae *uu* litterae concurrerent, quarum prior aut consonae aut vocalis vice fungeretur, non *uu* sed *uo* perscribere (cf. Quintil. I, 4, 11). Quam late autem patuerit haec scribendi constantia inde potest intelligi, quod ne a posterioribus quidem poetis Augusti aequalibus omnino abest: nam Vergilium semper in hac re *uo* posuisse demontravit Wagner, Orthogr. Vergil. p. 476 sqq. E Catulli poematis contigit expiscari haec fere exempla: servos XXIII, 1.

Calvos LIII, 3. novos LXI, 54. volt ibidem 209. aequom LXII, 60. convolsus ibid. 40 codex exhibet Thuaneus in recensione huius carminis plurimi aestimandus, cui obtemperarunt Vossius, Hauptius (cf. Quaest. Cat. p. 28) Heysius Lachmannus reliquis vulgatam lectionem ‚contusus‘ retinentibus. Porro devolsit LXIII, 5 ex emendatione Hauptii, Quaest. Cat. p. 70. tuom ibid. 9 correxit Lachmannus (cf. ad Lucr. p. 241) et similiter *tuos* 92 Schwabius ex *tuo* quod Germanensis Colbertinus Datanus legunt, revocavit[1]); divolso LXIIII, 257. vacuos ibid. 288 de certissima coniectura Bergkii. equos LXVI, 54, quom 79 pro *quem* Hauptius eumque secutus Schwabius, volturium LXVIII^{b}, 124, sed CVIII, 4 vulturio. Ut vero in his formis vel aperte traditis vel scite repositis Catullum pronuntiationem vulgarem secutum esse nulla est dubitatio — nam in aliis eius modi vocibus ubique recentior scribendi norma fidem habet — ita librariorum inscitiae vel errori debentur talia qualia sunt ‚*meos* crimina Calvos explicasset‘ LIII, 3 et ‚te timens cupidano vos | captat aure *maritos*‘ LXI, 54 sq. ubi formas illas *meos* et *maritos* ex male intellectis *Calvos* et *novos* h. e. Calvus et novus profectas esse sua quisque sponte perspiciet cf. Wagner l. n. p. 448. De tota re adi Corssenum de pronunt. vocal, accent. ling. Lat. I p. 71. 73. II p. 97 sqq. 390.[2])

Porro ad sermonem antiquum pertinet littera *o* pro *e*, si consona *v* praecedat, in certis quibusdam vocabulis collocata ut in vorto, vortex, voster et quae sunt similia cf. Corssenus l. n. I p. 316. II p. 11. 28 sq. 66. Catullus quidem hunc scribendi morem in pronomine tantum *voster* et formis inde derivatis assumpsit, veluti dixit vostra XXVI, 1. XXVIIII, 13. vostri LV, 22. LXI, 209. vostras LXVI, 87. De veritate autem quarundam harum formarum ne quis dubitet, conferantur illa quae de confusione pronominum *nostri* et *vostri* in libris poetae Veronensis frequentissima subtiliter disputavit Schwabe, Quaest. Cat. I p. 154. Poetarum scaenicorum usum disces ex Ritschelii Proll. Trin. p. XCV.

---

1) Quamquam has pronominum formas *tuus tuum suus suum* ut pote vitae consuetudine facillime inlatas excipi volunt Ritschl. Proll. Trin. p. XCIIII sq. et Fleckeisenus ep. crit. p. VIIII.

2) In locis citandis ubique altera eius editione utimur.

Diphthongus *oi* quae iam inde a temporibus primi Punici belli in *oe* debilitari coepta est, post Gracchorum aetatem paulatim in *u* transiit monente Corsseno I p. 709 sq. Et alteram quidem per *oe* scriptionem, cuius exempla nec Plauto nec Lucretio desunt (cf. Ritschl. l. n. et Kuehn. Quaest. Lucr. p. 5) notum est in tribus vocabulis, quae sunt Poeni, poena, moenia, vel a sermone florenti solam agnosci. At vocum tamen prisco more per diphthongum *oi* designatarum multo pauciora extant testimonia in libris dactylicorum posteriorum et ne unum quidem certum in carmine Lucretii quamvis ut aliunde constat vetustarum formarum studiosi. Apud Catullum quidem eius modi scriptura saepius occurrit in forma pronominis *quoi* pro *cui*, ut indicatur his locis: I, 1. II, 3. XVII, 14. XXIIII, 5. LXVII, 47. LXXI, 1 (cf. Hauptii Quaest. Cat. p. 93). CVII, 1. de coniectura Ribbeckii ann. Jahn. LXXXV p. 378 cum Schwabio mihi probatissima. In universum autem necesse est animadvertatur illud *quoi* ne uno quidem horum locorum ita exaratum praeberi codicibus, sed maxima ex parte Italorum grammaticorum emendationibus deberi omnes veritatis numeros adeo in se continentibus, ut ne paulum quidem de iis hodie quisquam dubitet. Libri videlicet Catulliani plerique et optimi ll. cc. fere ubique *qui* habent, semel h. e. LXXI, 1 *qua*, unde necessario colligendum est in archetypo, ad quod omnes poetae codices superstites referendi sunt, olim *quoi* scriptum fuisse, quod cum indocti librarii explicare non possent, illo modo perverterunt: nam et sensum et verborum structuram si consideraveris, formam *quoi* omnibus nominibus certam esse facile intelleges. Frequentissimus est huius scripturae usus in inscriptionibus et veterum poetarum fabulis, qua de re cf. Corssenus I p. 706 et II p. 760. — Quintil. I, 7, 27.

Accedit varietas scriptionis *ei* et *i* in his particulis obvia: nei VI, 2 Lachmanni arte restitutum; libri enim quotquot sunt sinceriores voculam *ne* suppeditant defensam et explicatam ab Haasio ad Reisigii schol. lat. p. 524 not. Sed probavit idem ille vir doctus ibidem etiam alteram *ni* scripturam consentiente Umpfenbachio melet. Plaut. p. 66. Ut concinnitatem orationis quam poeta non nullis neglexisse videbatur, cum scriberet: ‚nei sint illepidae atque inelegantes | velles dicere nec tacere posses‘ Catullo redderent, Froehlichius in versu priore *ni essent*,

Reisigius l. n. in posteriore *velis* et *possis* corrigendum censuerunt. Quamquam nihil in verbis traditis esse offensionis et Haasius perspexit et interpretes poetae Veronensis recentiores quod sciam omnes velut Lachmannus Rossbachius Hauptius Schwabius. Tum in eiusdem carminis versu 14 postea quam iam Baptista Guarinus pro inepta librorum *nec* lectione aptissime *ni* scripsit, rem omnibus numeris absolvit Marcilius qui litterarum ductibus paulo accuratius respectis ita coniecit rectissime ‚nei tu quid facias ineptiarum'. Similiter XIIII, 1 *nei* pro *ne* sive *ni* legendum esse Lachmannus primus dispexit, quem ceteri vulgo secuti sunt. Porro in XXXVIIII, 2 *sei* praebet aperte Laurentianus, reliquis male partim *seu* partim *sed* tuentibus. Nam ex eiusdem carminis versu 4, ubi haec extant ‚si ad pii rogum fili | lugetur' superiorem quam posuimus lectionem unice veram esse clarissime patet. Plane eodem errore factum est, ut LXVI, 35 liber Germanensis antiquissimus pr. m. *sed* exhibeat pro *si*, quod et altera manus fecit et ceteri ad unum omnes habent, nisi forte rectius *sei* scribendum est quod ex primitiva Germanensis lectione Schwabius revocavit. Certissimum deinde indicium facere possumus de alio loco qui in LXXXII, 4 prostat. Librarios enim si alibi unquam iis accidit, ut scientes vel inscientes manum poetae obscurarent, hoc potissimum loco peccasse gravibus aliquot argumentis demonstrari potest. Placet autem ut res melius intellegatur, totum carmen perbreve hic exscribere quale codicibus traditur:

Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum
  aut aliud siquid carius est oculis,
eripere ei noli multo quod carius illi
  est oculis, *seu* quid carius est oculis.

Primum considera quaeso quam inepta versibus duobus extremis sententia contineatur. Poeta Quintium obtestans ne puellam sibi eripiat oculis ipsis cariorem tantum abest ut particula *seu* gradationem quae exspectatur subiiciat, ut multo minus etiam quam paulo ante dixit, satis ineleganter praedicet. Praeterea si recte *seu* illud locum teneret, ex lege grammatica non *quid*, sed *quod* sequi deberet, ut versus tertius luculenter docet. Itaque cum singula haec reputemus, quanam ratione et sensui optime satisfieri et traditum *quid* cui nulla omnino

causa est cur diffidas, apte explanari posse censebimus nisi facillima et promptissima *sei* emendatione? Qua quidem concessa omnia bene cohaerent nec non poeta ab incusatione unius eiusdemque sententiae moleste repetitae prorsus vindicatur. Ceterum huic coniecturae quam dudum Bergkius protulit et in textum receperunt Schwabius et Rossbachius, magnum afferri praesidium simillima orationis in versu altero conformatione ultro quisque comprehendet. Superest in hac causa ut coniectanea quaedam Schwabii referamus a forma litterarum et a sensu ut nobis quidem videtur ad persuadendum valde probabilia. Sic in LV, 12 et LXVII, 39 bis *heic* scripsit vestigia premens Germanensis et Parisini 1 in lectione *hec* congruentium, porro XXI, 9 et LXVIII[b], 141 ex *atque* quod illic libri habent omnes, hic non sine discrepantia codices agnoscunt, particulam adversativam *atquei* reposuit.

Omnia igitur haec quae notavimus exempla indicio sunt veteris scripturae Lucilii potissimum aetate in declinatione nominum usitatissimae necdum Catulli tempore omnino obsoletae, id quod pluribus eius testimoniis infra aptius docebimus.

Item priscae linguae formam et speciem prae se gerunt superlativorum suffixa per *u* litteram prolata, cuius loco postea vocalis *i* legitimam vim in pronuntiando scribendoque assecuta per omnia tempora viguit cf. Quintil, I. 7. 21. Corssen. I. p. 339. Et hanc elegantioris consuetudinis norman ubique in carminibus suis Catullus sequitur, contra fluctuat idem inter litteras i et u in his fere vocabulis: monimentum XI, 10, sed monumentum LXXXXV, 9. lubet XV, II. XVII, 17. XXVII, 5. XXXII. 6. LXI, 133. 211 et LXII, 36 ex libri Thuanei scriptura paulo corrupta *adlucet* pro *at lubet*, quod Schwabius recte vidit. Deinde qualubet XV, 11. XXIIII, 9. XXXX, 6. LXXVI, 14. quidlubet XXXVIII, 7. quilubet XXXVIIII, 14. lubentius LXI, 41. semel tantum libet II, 6. Accedit nomen proprium eadem fluctuans diversitate scripturae in carm. XXXXV, ubi vv. 1 et 23 bis Septimius, sed 13 Septumille et 21 Septumius legitur.

Porro non alienum videtur afferre in compositis quibusdam vocabulis quorum vocales plerumque in alias transire constat, priorum poetarum more Catullo placuisse vocalem vocis simplicis retinere, cuius rei exempla sunt insapiens XXXXIII, 8 (cf. Caper

de Orthogr. p. 2249 P.) et quod minus offendit infacetus ibid. et bis XXII, 14. sed inficetiarum dixit XXXVI, 19.

Denique consonantes quod attinet, priscae aetatis itidem feruntur formae vocabulorum quibus binae pro simplici consonae sunt praefixae veluti gnatus, gnavus, gnobilis, gnosco alia quae partim a radice *gna* partim a stirpe *gno* deducuntur cf. Corssenus I p. 82 sq. Ritschl. Proll. Trin. p. CIII. sq. Hanc rationem stirpis corroboratae observavit Catullus plerisque carminum locis in *gnatus* et *gnata*, ut indicant LXIIII, 119. 213. 215. 216. 220. 349, sed falso codices 298 haec habent 'inde pater divum sancta cum coniuge gnatisque': nam *gn* praecedentem vocalem semper producit tradente Muellero de re metr. p. 316. Accedunt LXVII, 23. 30. LXXII, 4. LXXXX, 3. 5. Alias ubique breviore forma poeta utitur ex parte metri gratia, quippe ne correpta vocalis vocis superioris versus rationibus postulata sua quantitate exuatur. Itaque in carminis XXXVI, 13 ubi libri item depravate *Gnidumque* offerunt, Catullus scripsisse putandus est ‚quaeque Ancona Cnidumque harundinosam'.

In hoc aliisque verbis *g* litteram tenuis admodum soni fuisse ex eo apparet, quod facillime decidit, cum semper remaneret in compositis prognatus, cognatus, ignarus, ignobilis cet., unde originem scripturae pinguioris in simplicibus conspicuae cognoscere licet.

Nec magis usitatum erat temporibus antiquis et in mediis nominibus et in exitu eorum sibilantem *s* scribere postea vulgo in *r* attenuatam. Hoc modo exorta sunt *Lares* ex *Lases, arae* ex *asae, Furius* ex *Fusius* cf. Corssenus I p. 234 sqq. Pariter litterae *s* in *r* transitus cernitur in arbor, honor, labor, lepor quae omnia olim per *s* terminabantur cf. Quintil. I, 4, 13. In Catulli poematis unum huius scriptionis exemplum restat quale est labos LV, 13: ‚sed te iam ferre Herculei labos est.' Ceterum ex illorum numero *honos* et *arbos* ad ultima usque tempora aequabili scriptorum usu viguisse satis notum est.

Prius autem quam ad alia procedat disputatio, generatim hoc adnotandum est orthographiam Catulli librariorum licentia permultis locis adeo oblitteratam esse ut interdum vestigia tantum obscura supersint priscae rationis, ex quibus genuina poetae manus restitui queat id quod diligentissime omnium editorum fecisse Schwabii est meritum.

b. De declinatione.

1. Nominativus. — In nominibus Graecis fere ubique Catullus Graecam flectendi rationem sequitur, unde elucet sicut in rebus metricis ita etiam in flexione vocabulorum quam maxime eum pressisse Graecorum vestigia. Itaque dixit Ciceros LXIIII, 35 teste Meinekio, Vindic. Strabon. p. 152. 153, non *Syros* vel *Sciros* quod male libri tuentur, itemque ibid. 285 *Penios* vel *Peneios* cf. Ovid. Met. II, 243.

2. In genetivo verborum A - declinationem sequentium scripsit Cybeles LXIII, 12. 68 et Cybebes ibid. 20. 35. Arsinoes LXVI, 54 in quo Cicero de nat. deor. III, 22, 57, cum *Arsinoae* forma uteretur, linguae Latinae proprietatem sequi maluit. Eiusdem casus tertiae declinationis sunt Phasidos LXIIII, 3 (cf. Ovid. Met. VII, 6. Propert. I. 20, 18) et Locridos LXVI, 54, contra Latine inflexit Thetidis LXIIII, 19, 302. Porro in eiusdem carminis versu 178 cum Schwabio et Rossbachio non dubito, quin poeta *Idomeneosne* dederit, quod et in Hamburgensi, libro auctoritatis minime spernendae, inest et dudum ita correxerunt Itali grammatici. Nam ceteris codicibus quae offertur varia huius nominis lectio *Idoneosne* et *Idmoneosne* multis de causis inepta est. Qua in re Lachmannus ad Lucr. p. 192 eo quod eius modi genetivi semper a poetis Latinis *o* brevi efferrentur, formam *Idomeneusne* praetulit pro exemplo afferens illud Homerici Jl. XIII, 424: *Ἰδομενεὺς δ' οὐ λῆγε μένος μέγα* non nullis probatum. In sententiam eius accessit M. Hauptius, ind. lect. Berolin. aestiv. (a. 1855) p. 7, sed cf. L. Muellerus de re metr. p. 275. — Iam de Latinis vocabulis ut agamus, in genetivo singularis et nominativo pluralis numeri O - declinationis monendum est antiquitus scripturam inter *i* et *ei* vehementer fluctuasse, qua de re pauca iam supra protulimus. Hanc igitur varietatem ut certis firmisque terminis circumscriberet, in vulgus constat qualia praeter ceteros vetus satirarum scriptor Lucilius praeceperit cf. Lucilii frgm. VIIII, 6 et Gerlachii praef. p. 118. Ter. Scaurus p. 2255 P. Quamquam ista praecepta nunquam religiose servata sunt et a grammaticis posterioribus merito reiecta cf. Quintil. I, 7, 15. Charis. p. 60 P. Verum enim vero etsi scriptura *ei* ne in aliis quidem, nedum in iis quos Lucilius voluit casibus unquam prorsus e lingua Latina evanuit, tenendum tamen est

illud *ei* in terminationibus secundae declinationis praeter solos dativos et ablativos plur. in-eis finitos non tam diphthongi vim habuisse quam medium quendam inter *e* et *i* sonum significasse cf. Corssenus I, p. 751. 768. 787 sq. Et priscam hanc scribendi consuetudinem Catullus dactylicorum omnium longe frequentissime carminibus expressit velut indicant hi loci: Romulei Remique XXVIII, 15, pulveris Africei LXI, 206 (cf. Schwabe, praef. edit. p. XVIIII et XXVIII), multa milia ludei ibid. 210. domina Dindymei LXIII, 91. e vertice Pelei LXIIII, 278. fata gemens Itylei CI, 12. Quibus formis nescio an recte adnumerandae sint emendationes Lachmanni gnatei LXVII, 23 et taurei LXIII, 10 et verei pectoris LXVI, 74. tum Klotzii, emend. Cat. p. XIII antiquei XXXIIII, 23 ac Schwabii illud coniugis *novei* LXVIII[b], 81 cf. eiusdem Quaest. Cat. I p. 154 Dativi exempla remanserunt integra tria, quae sunt Herculei LV, 13. crede lucei ibid. 16. subrepsti mei LXXVII, 3 cf. sibei in SC. de Bacchan., mei misero Novius 48. Vocativi unum extat Furei XXIII, 1, sed Furi XXVI, I. Ablativi item unum a marei IIII, 23 quod Lachmannus e codicum lectione *amaret* simpliciter effinxit. Nominativus plur. semel apud Catullum hanc formam certe induit in bonei coniuges LXI, 232. at ne minima quidem mihi dubitatio est, quin eodem pertineant Schwabii et Rossbachii *quei* quod ille X, 22, hic XVI, 12 pro librorum traditione *que* restituit, porro Lachmanni *novei* libri XXII, 6 et Scaligeri scite inventum „rivales *sociei* puellularum“ LVII, 9 probatum et defensum ab Hauptio in observ. crit. p. 41. Denique hoc genus scripturae usque ad tempora Augusti latissime patebat in dativis et ablativis cum aliorum verborum tum nominum praecipue populorum, ut testantur formae *Sabineis Etrusceis Campaneis* similes aliae quas attulit Corssenus I p. 761. In codicibus quidem Catulli praeter unum certum exemplum aureis XXXXVI, 3 saepe vestigia tantum priscae rationis obscura delituerunt velut XII, 14 *exhibere* traditum est pro *ex Hibereis,* deinde XVII, 3 ubi post Handii coniecturam *axulis* Schwabius ad carminis LXXXXVI, 1 forma antiquarum litterarum *ac sulcis* accuratius expressa potius *axuleis* legendum censet, nescio an leviore muntatione *assuleis* rescribendum sit loco vulgatae lectionis *assulis.* Similiter librarii LXI, 222 *inscicis* in *insciens* et LXVI, 58 *Canopieis* in *Canopicis*

mutarunt errore facillimo.[1]) Ceterum in hac re mirum sane est quod Lucretius, antiquitatis studiosissimus, tribus tantum exemplis veterem orthographiae morem amplexus est iudice Lachmanno, comm. Lucr. p. 244.

Nequo silentio praetereundum videtur genetivum sing. nominum in-ius vel in-ium desinentium exceptis trisyllabis vocabulis eis quorum antepaenultima brevis est, in lingua florenti vulgo contractum in *i* perhiberi. Hunc sui temporis usum poeta Veronensis constanter adoptavit in nominibus et propriis et appellativis, quorum e numero, ut illa nunc omittam, lubet afferre fili XXXVIIII, 4. loti ibid. 21 iam ab Italis correctum, tuguri Priap. LXXXVI, 6 (olim Cat. XVIIII, 6). Accedunt formae vocum Graecarum correptae quibus non nulli scriptores usi sunt ea lege, ut non una sed plures morae vocalem finalem antecederent cf. Lachm. ad Lucr. p. 327. Corssen. II p. 697 sq. Hoc modo Catullus dixit gymnasi LXIII, 64 cf. Plaut. Bacch. 427. et conchyli LXIIII, 49 ut Lucret VI, 1074. Praeterea haece eius modi vocabulorum formae genetivi coactae, qualis in *mancipi* semper conservata est, etiam poetis Augusto aequalibus maxime familiares sunt nisi quod Propertius et Ovidius primi vetere more neglecto pleniorem terminum adhibuerunt, id quod dudum observavit Bentleius ad Terent. Andr. 320.

3. In dandi casu semel Graece flexit Pelei LXIIII, 382, cum ibid. 336 item in extremo versu *Peleo* Latine scribere maluit. Alterum enim quod in editionibus prioribus vulgo circumfertur exemplum Callisto LXVI, 66 ita 'Callisto iuncta Lycaoniae *vel* Lycaonidi' non solum optimorum codicum fide prorsus caret, sed verendum etiam est, ne contra Servii testimonium ad Aen. VII, 324 qui his vocabulis in-o missis dativum deesse tradit — id quod poetarum aliorum usus confirmat — temere in Catulli verba talem formam inferamus. Qua re videtur Lachmannus motus fuisse, ut cum Scaligero librorum

---

[1]) Saepe quidem numero factum est, ut cum in fine versuum tum in exitu vocabulorum *i* littera decideret sive mala festinatione sive errore librariorum, ut pote qui propter scripturam exempli Veronensis unde omnes libri Catulliani originem traxerunt, paullo difficiliorem (cf. Schwabe, in praef. edit. p. XVI) plurima prave legendo vitia committerent.

bonorum *iuxta* lectionem retineret et pro *Lycaonia* emendatius *Lycaonida* scriberet, etsi non diffiteor multo magis mihi placere Rossbachii illud 'iuxta Lycaoniam' ad exemplum Callimachei in Jov. 41 *Λυκαονίης ἄρκτοιο*. — Porro eiusdem casus suffixum *i* verborum Latinorum quae leges U-declinationis sequuntur, notum est apud scriptores optimos plerumque supprimi (cf. etiam Gell. IV, 16). Nec dissentit ab his Catullus qui bis posuit coetu LXIIII, 385 et LXVI, 37: nam consimilis huic forma *luctu* quam Dorvillius ad Chariton. p. 263 post eumque Bergkius in LXIIII, 247 scribendam esse putaverunt ita quidem 'quali Minoida luctu' sq. pluribus de causis quas infra aptius explicabimus nobis improbabilis videtur.

4. Iam de accusativo et ablativo tertiae quae vocatur declinationis ut simul agamus, comprehendit haec quidem nomina quorum stirpes in *i* vel in consonam exeunt neque si Graecae linguae similitudinem contuleris, ulli dubitationi obnoxium est quin talium verborum accusativus iustus ac primitivus in-im formatus olim fuerit, praesertim cum non nulla restent vocabula per omnia saecula hac terminatione affecta. Quo ex genere in carminibus Catulli leguntur tussim XXXXIIII, 7. 19. Sarapim X, 26 cf. Martial. VIIII, 29. 6 et Graeca flexione Attin LXIII, 42. 88. sed Macrob. Sat. I, 21, 7 Attinem. Haec si recte disputata sunt, non mirabimur quod Catullus cum eorum nominum tum aliorum ablativum haud raro in-i conformare sibi concessit. Sincerae enim ablativi terminationis quae est *id* ex *eid* profecta (cf. Corssenus I p. 204 sq. 734 sqq. II p. 462) littera *d* quod ablativi signum est omnibus declinationibus ab initio commune, nascentibus litteris magis magisque remota est et postremo omnino decidit relicta *i* terminatione in certo quodam genere vocabulorum etiam nunc perspicua, cum in aliis plerumque in *e* versa sit. Itaque praeter usitatas illas formas securi XVII, 19 et puppi LXIIII, 6 Catullus has sibi permisit: ungui LXII, 43 cf. Horat. Od. III, 6, 24. classi LXVI, 46 et LXIIII, 212 nisi quod loco posteriore excerpta Minturni *castae* offerunt a multis approbatum et receptum. Huius quidem lectionis auctoritas si examinatur, multum sane habet quo commendetur: Minerva enim quae hic intelligitur, optime *casta* appellatur. Vereor tamen, ne altera codicum praestantissimorum scriptura *classi* si pro corrupta

habeatur, a ductibus litterarum non satis explanari possit. Tum capiti extat LXVIII[b], 124, unde Nobbius de metris Catulli II p. 10 etiam in LXXXVIII, 8 pro *capite* potius *capiti* legendum esse collegit. Sed illa sententia nec codicis ullius auctoritate firmatur neque obliviscendum est poetam in ultima pentametri syllaba nondum ut posteriores observasse certae regulae constantiam. Denique rati LXIIII, 121 in omne tempus correxisse mihi videtur Passeratius quem Schwabius secutus est. Namque tradita lectione *ratis* et concinnitas orationis pervertitur et sensus laborat. Quae ne longus sim probare nunc omittam, at de origine corruptelae ut inquiramus, non errabimus censentes in archetypo *rati* scriptum fuisse, quod cum librarius exempli Veronensis aut legere non potuisset aut quod veri similius est prima littera proximae dictionis *spumosa* deceptus in *ratis* mutavit, quae lectio omnes deinceps codices occupavit. Iam vero in adiectivis non eandem omnes poetae rationem secuti sunt, sed pro metri rationibus ablativum eorum modo per *i* modo per *e* protulerunt. Sic contra vulgarem usum Catullus dixit Troia infelice LXVIII[b], 99. idem vero quod cum plerisque fecit sollerti corde LXIIII, 294 semel discrepat Ovid. ex Ponto IV, 14, 35. Multo magis fluctuant adiectiva quae in *ns* cadunt et tanquam participiorum formam induerunt. Talia in carminibus Catulli reperiuntur his locis: impotente amore XXXV, 12. elegante lingua XXXXIII, 4. recente sanguine LXIII, 7. sed amenti furore LXIIII, 197. clementi flamine ibid. 272 et 274. Rursus ubicunque participia vice adiectivorum funguntur, longe maxima ex parte ablativum in *i* finiunt, veluti docent: desiderio nitenti II, 5. furenti rabie LXIII, 4. mugienti fremitu ibid. 82. candenti e gurgite LXIIII, 14. laetanti coetu 33. fulgenti auro 44. languenti corde 99. sudanti cortice 106. laetanti pectore 221. nutanti platano 290. sole sub ardenti 354 constanti mente209. 238. mordenti rostro LXVIII[b], 127. Semel toto opere hunc casum per *e* extulit LXIIII, 387: templo in fulgente. Sicubi autem ablativi absoluti quem vocant locus est, ex more communi suffixo *e* poeta utitur praeter LXIIII, 376: orienti luce nec aliis eius modi exempla prorsus deesse ostendit Neue, Gr. Lat. II, p. 44 sq, cf. etiam II p. 29. 33. 37. sqq. De usu Lucretii qui multo plus quam Catullus in hoc genere sibi permisit, egerunt Proll, de antiquis formis Lucr. p. 25 et Kuehn

l. c. p. 9 sq. — Porro accusativum Graecorum vocabulorum quae secundae declinationi applicantur, poetae Latini vulgo in-on, rarius in-o mittunt. Hoc testatur Catullus duobus exemplis qualia sunt Athon LXVI, 46 cf. Ovid. Met. XI, 554. Pomp. Mela II, 2, 9. et palimpseston XXII, 5: etenim Lachmannus recte percepit ex usu sermonis Latini non tam ‚in palimpsesto' quam ‚in palimpseston relata' dici oportere, postea quam iam ante eum Nic. Heinsius in eandem sententiam incidit, quippe qui in advers. p. 638 palimpsestum coniectasset cf. etiam Cic. ad fam. VII, 18, 2. Similiter hunc casum III declinationis Graecorum more per *a* scriptum praecedente conso na cum in prosa perraro inveniatur, longe saepius adhibuerunt poetae ut pote metro magis convenientem. Quo pertinent IIII, 9 Propontida XXXVI, 13 Ancona a nominativo Ancon qualis est Iuven, IIII, 40. Sil. VIII, 436. Amathunta XXXVI, 14 cf. Ovid. Met. X, 220. 531. deinde trita utroque dicendi genere aëra LXVI, 53 et aethera LXIII, 40. Praegressa vocali non inveni nisi unum exemplum Catulli Minoa LXIIII, 85. Contra accusativum nominum in-eus desinentium omnes prope poetae nec non aliquando etiam prosae auctores in-ea terminarunt docente Schneidero Gr. Lat. II p. 295. Qua de re comparari possunt formae Pelea LXIIII, 21 et Thesea ibidem 53, 239. 245. Neque mirum est quod talium verborum vocativum poetae constanter per *eu* extulerunt, cum scriptores orationis pedestris quantum fieri potuit eum devitarent. Ita legis Peleu LXIIII, 26 (sed Peleo Cic. de or. III, 15, 57) ac Theseu ibid. 69. 133. praeterea huc referendus est vocativus Amastri IIII, 13.

5. In nominativo plur., de quo nunc agendum est, Catullus itidem Graecam flectendi rationem videtur secutus esse, quamvis exemplum huius rei omnibus nominibus certum non adsit; nam in carminis LXIII, 16 libri quotquot habemus mss. sine ullo dissensu 'truculentaque pelagi' suppeditant. Verum tamen si perpendimus nullum omnino locum extare quo similiter poetam adiectiva pluralis neutro genere cum genetivo substantivorum copulasse demonstretur — etenim quod LXVI, 74 dixit 'condita verei pectoris' paullo aliter se habet — porro cum ex iis quae iam supra attulimus, satis appareat Catullo Graeca vocabula fere semper ad Graecas declinandi leges formare placuisse, facile equidem adducor ut cum viris non nullis criticis prioribus

quibus plerique Catulli interpretes recentiores adstipulati sunt; hoc loco formam *pelage* unice veram poetae restituendam esse credam. Plane eodem scilicet modo Lucretius etiam scripsit V, 35 pelageque severa et VI, 619 at pelage multa etc. — Deinde in verbis patrii sermonis, quae tertiae declinationis sunt animadvertendum est Catullum bis antiquiore nominativi suffixo *is* protulisse paris LVII, 3 nisi forte ut editores videntur iudicare, statuendum est *i* litteram ex sequenti voce *utrisque* librariorum neglegentia irrepsisse; contra nullam habet suspicionem linquentis LXIIII, 276 cf. etiam Lachm. ad Lucr. p. 56. Ceterum haec terminatio e genuina *eis* orta et per temporis decursum in *es* mutata denuo et multo quidem frequentius nobis occurrit in accusativo quo loco pluribus ea de re disputabimus. Iam hinc ad

6. Genetivum pluralis ut veniamus, inter omnes pro certo est hunc casum nominum eorum quae cum bisyllabis *cola* et *gena* sunt composita, in *um* contractum a poetis Latinis metro concedi neque discrepat a communi usu Catullus, apud quem ex hoc genere leguntur Troiugenum LXIIII, 355 et caelicolum LXVIII[b], 138. at singulare quoddam exemplum est cymbalum LXIII, 21. Praeterea omissis eis vocibus quarum genetivus vulgo corripiendi iure fruitur ut deus, divus, vir alia, non alienum videtur commemorare in adiectivis et magis etiam in participiis praes. act. poetas haud raro uti terminatione *um* pro *ium* per sycopen litterae *i* effecta. Qualia sunt caelestum LXIIII, 191 et 204. Veronensum C, 2 ubi Nobbe de metris Catulli II p. 19 Veronensium probat (sed cf. Schwabii Quaest. Cat. I p. 230), denique amniumque sonantum XXXIIII, 12 solus liber Hamburgensis incorruptum servavit. Ceterorum similia collegit Neue II p. 22 sq. In eodem casu non ita frequenter scriptores Latini Graece flexerunt vocabula nec fere alia nisi quae essent aut nomina populorum aut librorum tituli. Atque hac ratione poetam Veronensem Chalybon LXVI, 48 dixisse primus vidit Politianus miscellan. p. 68, cuius emendationem Lachmannus Hauptius (cf. etiam Quaest. Cat. p. 85 sq.) Schwabius alii receperunt.

7. Nec maiore usus frequentia poetae dativum more Graecorum in -*sin* terminatum adhibuerunt, quem in prosa primum ita Varronem finxisse testimoniis constat Charisii p. 37 P. et Nonii p. 374. Eadem flexio inter poetas saeculi Augusti

maxime Ovidio et Propertio familiaris est, ante quos ne Catullus quidem videtur talem dativi formam prorsus fugisse, si verum est *Naiasin* illud quod LXIII., 287 pro monstruosa librorum scriptura *Minosim* cum multorum approbatione coniecit Hauptius in observ. crit. p. 69.

8. Accusativum denique tertiae declinationis ad analogiam Graeci sermonis tam saepe et poetae et rerum auctores per — as extulerunt, ut longum sit exemplis id confirmare. Quare sufficit Catulli in hoc genere consuetudinem persequi, apud quem tres, si codices loquimur, eius modi accusativi reperiuntur: Cycladas IIII, 7, Thyiadas LXIIII, 391 et plumipedas LV 27 Germanensi et libro Santenii pr. m. oblatum, cum in ceteris vulgaris *plumipedes* forma legatur. — Iam vero in nominibus Latinis eiusdem declinationis leges sequentibus valde ambigunt grammatici et vetustiores et recentiores, utrum eorum accusativus per *is* an per *es* rectius designetur. Itaque cum ipsi veteres constantiam et certam scribendi normam nullo modo quaesivisse optimorum codicum auctoritate probetur, non mirabimur videntes quanta licentia hactenus editores in libris veterum recensendis et dudum usi sint et hodie utantur. In tanta rei difficultate ne illi quidem praecepto quo accusativum talium verborum qualia genetivum plur. in—ium finiunt, semper per *is* scribere iubemur, summam vim tribuere possumus: nam id qui presse sequi volunt, caveant ne crimen laesae fidei antiquitatis in se suscipiant. Res igitur utcunque comparata est, hoc nemo dubitabit quin terminatio *is* vetustior usque ad Augusti aetatem longe praevaluerit ita quidem, ut in eisdem verbis altera quoque scriptura *es* simul usitata fuerit auctoribus vulgo aurium iudicio confidentibus cf. Gell. XIII., 21. Wagneri Orthogr. Vergil. p. 404 sqq. Postea demum recentior haec terminatio magis magisque adeo increbuit, ut postremo vel unicum locum obtineret teste Charisio p. 122 P., cf. etiam Zumptii Gramm. Lat. § 68 not. Quae cum ita sint, plane facio cum Lachmanno in comm. Lucr. p. 55 censenti solam codicum fidem ubi inter se consentiant, sequendam esse. Qua de causa satis habemus omnia terminationis in — is exempla proferre, quae in membranis Catulli probis deprehenduntur. Sunt autem haec: tristis II, 10. CI, 8. hominis X, 16. natis XXXIII, 7. libidinisque XXXXV, 24. omnis LI, 5. LXVIIIa, 26. tenuis LI, 9.

LXIIII, 262. pinguisLXII, 3. lactentis LXIIII, 65.suavis ibid. 87 auris 170. collis 233. ingalis 302. evantis 391. talis 407. dulcis LXV, 3. finis LXVI, 12. caelestis LXVIII b, 76. penetralis ibid. 102. accedit vocativi forma aequalis LXII. 11. 32. Hinc convertimus nos ad

9. ea nomina et substantiva et adiectiva quae duplicem flexionis modum sequuntur.

α. substantiva heteroclita et abundantia.

Quo in genere notandum est quorundam vocabulorum fluctuationem inter diversas declinandi rationes licet e sermone Latino nunquam plane evanuerit, apud poetas tamen priores multo latius patuisse quam apud posteriores. Neque id mirum: nam quo primum tempore populi cuiusdam litterae nascuntur, fieri sane nequit quin magna verborum formarumque copia praesto sit nondum coercitarum certis elegantioris aetatis legibus. Et cadit hoc quidem praecipue in terminationes substantivorum et adiectivorum priscis Latinorum temporibus satis licenter tractatas, id quod ex parte docent exempla quae collegerunt Proll. l. n. p. 18—21 et Neue I. p. 362 sq. Verum hanc licentiam atque inconstantiam Romani ea potissimum aetate qua linguam suam ad concinnas Graecorum leges excolebant, summo opere studuerunt removere, ita tamen ut pauca retinerent vocabula quae ut varia ratione inflecterentur vitae consuetudo sanxerat. Itaque etiam Catullus, poeta urbanitatis ubique studiosus, fere nihil ex eo genere habet quod communi scriptorum usu non comprobetur exceptis quidem non nullis rebus, in quibus singularem quandam rationem secutus esse reperitur. Pertinet autem huc primum quidem quod cum dicere *acinum* vel *acinus* posset longe poetis usitatissimum, solus ut videtur maluit eandem vocem primae declinationi tribuere XXVII, 4 ita ‘ebriosa acina ebriosioris‘. Catullum revera hoc modo scripsisse minus ex ipsius codicibus quam ex Gellianis perspicitur, nisi forte a Colbertino et Santeniano recesseris quorum traditio *acinae* propius ad veritatem accedit. Sed certissimam huic loco medicinam afferunt libri quos diximus Gellii, qui N. A. VI, 20, 6 H. primos carminis nostri versus quatuor citavit et de re ipsa quam aggressi sumus uberius egit. Apparet autem simul ex eius verbis speciose emendatis ab Hauptio ind. lect. Berol. aest. 1857

p. 4 tres iam illo tempore Gellii extitisse in Catulli exemplaribus huius loci lectiones quas vide apud Schwabium ad h. l. Deinde poeta singulari numero posuit *ile* in carminis LXIII versu 5 mirifice a librariis corrupto. Cuius quidem emendatio plurimum debet Lachmanno et Hauptio quorum ille tradita lectione *iletas* merito resecata *ile* restituit, hic formam *devolsit* scite invenit. Ceterum Lachmanni coniectura quam omnes Catulli interpretes receperunt, egregie commendatur Servii testimonio ad Verg. Ecl. VII, 26 et Aen. VII, 499 (cf. etiam Ritschl. in mus. Rhen. VII p. 312 sq.). Praeterea si consideramus quotiens Catullus a ceterorum usu loquendi discrepet et si comparamus traditam lectionem in qua genuinae scripturae vestigia manifestissima latent, nulla omnino dubitatio est quin manus poetae singulare nomen dederit 'castitate prae aliis commendatum et ipsa formae varietate et fortasse vetustate huic carmini, in quo altioris et antiquioris sermonis speciem studiose sectatus est, inprimis aptum' cf. Hauptii Quaest. Catull. p. 70. gloss. Labb. p. 87. — Neue I, p. 293. Similiter neutro genere *pugillaria* dixit XXXXII, 5 pro vulgari *pugillares* scil. libelli s. codicilli, praeterquam quod Laberius, eiusdem qua Catullus vixit aetatis poeta, apud Charisium I, p. 75 P. 97 K.[1]) et Ausonius Epigr. 146, 3 singulariter *pugillar* scripserunt. Porro vocabulum quod insolita cum terminatione insolitum simul genus induit, est *turben* LXIIII, 107 'indomitum turben contorquens flamine robur.' In his libri omnes praebent „indomitus turbo" praeter solum Datanum, qui pr. m. 'indomitum turbo' habet, unde Spengelius et Froehlichius quibus plerique assensi sunt, superiorem scripturam optime finxerunt, praesertim cum Servius ad Aen. VII, 378 haec referat: 'Catullus hoc turben dicit ut hoc carmen.' Non haerebit, opinor, in ista forma minus usitata quam tamen vel Charisius I. p. 48 in exemplari suo Tibulli I, 5, 3 legisse videtur, qui haec contulerit nomina veterum usu satis lato pervulgata: sanguis et sanguen apud Ennium Attium Lucretium, pollis et pollen aqud alios et masculino et neutro genere affecta cf. Neue I. p. 153. 514. Reisig.

1) Huius locum qui ad Catullum quoque spectat, pulcerrime emendavit Hauptius ind. lect. Berol. aestiv. 1855 p. 4 cf. etiam Schwabii Quaest. Cat. I. p. 24 sq.

schol. Lat. § 98. Proll. l. c. p. 23. Ad analogiam igitur horum verborum abundantium certum equidem exploratumque duco semel etiam Catullum illud *turben* neutraliter dicere ausum esse; etenim „liberius potest poeta quam orator sequi analogias" cf. Varro L. L. VIIII, 115.

Jam in iis vocabulis quae et O- et U- declinationis normam sequuntur, monendum est a Catullo hanc potissimum rationem observatam esse, ut nomina arborum constantissime U- declinationi adiungeret. Exempla sunt LXIIII, 1 prognatae pinus. ibid. 89 quales myrtus. 289 proceras stipite laurus. 291 aëria cupressu. sed 290 platano ex more solito, dum modo falso legatur Verg. Cul. 123 platanus aëriae cf. Reisig. l. n. § 85. Quae cum reputo, certum mihi videtur poetam etiam LXIIII, 106 *pinum* quartae declinationis fecisse praesertim voce *quercus* antecedente quae semper huius terminos accipit.

Item eorum vocabulorum quae fluctuant inter A- et E- declinationem, hanc longe Catullus praetulit velut ostendunt munditiem XXIII. 18. durities LXVI, 50. amarities LXVIIIa, 18 et quae vulgo ita dicuntur canities LXIIII, 224 et caesaries LXVI. 8.

β. adiectiva heteroclita.

Quam substantivorum modo cognovimus in declinando fluctuationem, eadem denuo cernitur in adiectivis quoniam ne de his quidem cui potissimum declinationi essent applicanda priscis temporibus satis constabat. Itaque permulta invenimus adiectiva quae apud priores scriptores et O- et J- declinationis terminationes asciverunt, ita tamen ut longe maximam partem illius quidem formae in usu essent quod collectanea indicant Prollii p. 54 et Nevii II. p. 65—72. Sed posterea linguae aetate plane contrarium accidit: namque talium verborum O-declinatio fere omnino cessit J- declinationi paucis admodum relictis quae pristinam simul formationem servarunt. Jam igitur Catullus quamquam non prorsus neglexit antiquiorem hanc consuetudinem, multo tamen cautius in ea re versatus est Lucretio cf. Proll. l. n. et Kuehn. Quaest. Lucr. p. 12. Dixit enim ex hoc genere semel *proclivus* pro eo quod vulgo est proclivis in LXIIII, 270 sic quidem „horrificans Zephyrus proclivas incitat undas" cf. Plaut. Mil. 1018. Varro R. R. II. 2, 7.

Sen. Ep. 86, 15. Ceterum quod solus nisi fallor inter poetas classicos talem vocis flexionem admisit, certum mihi videor huius rei argumentum afferre posse, studium scilicet Catulli parem in exitu vocabularum sonum efficiendi. Etenim cum alibi tum in carmine proposito tam multa occurrunt homoeoteleutorum exempla, ut non tam occasione quadam oblata quam consulto a poeta videantur quaesita esse. Porro ex aliorum numero haec habeo quae apponam: fratresque unanimos VIIII, 4. unanimis sodalibus XXX, 1. unanimis coniugibus LXVI, 80. flexanimo amore LXIIII, 330. Atque postremum nomen semper alterius declinationis fecisse videntur scriptores Latini cf. Pacuv. apud Varron. L. L. VII, 5, 87. Cic. divin. I, 36, 80. or. II, 44, 187. Nonius p. 113. De re ipsa fusius egit Corssenus I, p. 756 sq. II, p. 326 sq. 425 sq.

Proxima quaestio instituenda est

10. De generis varietate. Si gradus et quasi processus linguae cuiusdam cognoscere studemus, hoc factum esse reperimus ut ab initio quidem vocabula varias significationes haberent generis diversitate nondum distincta cf. G. Curtius in act. societ. Saxon. V, p. 218. Quod mutatum est temporis decursu: nam in lingua Latina ad quam iam spectat oratio, masculini femininique generis primum quidem communis terminatio *s*, neutrius suffixum *m* vel *d* exstitit, postea autem cum littera *s* finalis ad utrumque genus designandum non iam sufficeret, masculino suffixum *us*, feminino terminatio *a* semel tributa est. Itaque generis vicissitudo florentis linguae aetate cum mutatione terminationum [1]) arte cohaeret, quamquam illa norma non tantum valuit ut nunquam exceptionibus in una quaque lingua obviis locus concederetur. Et quadrat hoc quidem praecique in ea nomina quorum stirpes littera *i* finiuntur. Ex his Catullus duas voces quae plerumque masculinum genus sequuntur, pro femininis usurpavit, scil. finis LXIIII, 217: in extrema fine, quod semper hoc modo dixit Lucretius (cf. Kuehn, l. c. p. 13) et cinis LXVIII b, 90 acerba cinis. CI, 4 'mutam cinerem cf. Lucret. IIII, 926. Sed in plurali numero eadem vocabula cum ceteris poetis constanter genere masculino affecit velut testan-

1) Ne has quidem antiquitus certa lege iam constitutas esse magna exemplorum copia patefecit Neue II, p. 5. 7. 74.

tur LXIIII, 3 fines Aeetaeos. LXVI, 12 finis Assyrios. LXVIII^{b}, 98 cognatos cineres. Porro fluctuat interdum genus nominis quod est *colus*. Vulgo vim feminini sibi vindicat, sed masculini habet semel apud Catullam LXIIII, 311 colum amictum cf. Tibull. I, 3, 86 pleno colo, si fides Parisino est. Propert. IIII, 1, 72 dextro colo. 9, 48 Lydo colo. — Iam de voce *arcus* Servius ad Aen. V, 609 haec tradidit: ‚Catullus et alii genere feminino ponunt referentes ad originem, sicut haec Attis et haec Gallus legimus'. At carmen tamen in quo ita dixisse perhibetur, hodie non iam extat neque improbabile videtur verba eius corrupta esse cf. Schwabe fragm. XI.

Paullo implicatior denique quaestio est quonam genere poeta vocabulum *pumicis* I, 2 extulerit. Testibus enim Servio ad Aen. XII, 587 et Atilio Fortunatiano 2676 Putschii feminino usus est, sed refragantur codices nostri omnes, in quibus ‚pumice arido *vel* arrido' scriptum extitit. Nec aliter hunc versiculum afferunt Terent. Maurus 2560, Schol. Veron. ad Verg. Ecl. VI, 1 p. 73 Keilii, Mar. Victor. 2596 P., Isid. Orig. VI, 12, 3, Atil. Fortunat. 318 ex ed. Gaisf. In tanta lectionis varietate quaeritur utrum codicibus et maiori auctorum parti an Servio potius soli ut videtur fides habenda sit. Neque vero defuerunt qui hunc verbis suis alius Catulliani loci memorem fuisse censerent veluti Leutschius nunt. erud. Gotting. 1855 p. 1990 et Spengelius lect. Cat. p. 102, qui Fortunatianum quoque *arido* legisse autumnat. Pariter hoc loco fluctuant editores Servii auctoritatem partim sequentes ut Hauptius Rossbachius Schwabius partim repudiantes ut Lachmannus et alii. Crescunt angustiae vel eo quod nusquam alibi Catullus vocem *pumicis* cum adiectivo coniunxit. Iam igitur prolatis et veterum et recentiorum sententiis liceat nunc exponere, quem ad modum mihi quidem poeta Veronensis hunc locum effinxisse videatur. Qua in re longe maxime mihi placet eorum opinio, qui librorum scripturam ‚arido pumice' ut pote argumentis multis et gravibus confirmatam volunt retinendam esse. Primum enim Servium ad alium Catulli locum respexisse cum per se credibile est tum nemo facile negabit qui cc. LXV, 16 et CXVI, 2 contulerit, unde apparet plura carmina poetam Ortalo misisse hodie deperdita. Deinde ceteri scriptores omnes et priores et posteriores non probant illud nomen nisi genere masculino affectum

(cf. Neue I p. 691) quamvis hoc minus premam, si quidem saepius Catullus a communi usu recessit. At quod magni sane momenti est, ad locum quendam provoco Martialis fere eadem ratione conformatum, qualis legitur VIII, 72, 2: ‚morsu pumicis aridi politus.‘ Is igitur non solum plura versuum genera a Catullo desumpsit, sed interdum etiam dictionem eius imitando expressit.

Iam agendum nobis est

11. De flexione pronominum, quae perinde ac substantiva multas servarunt veteris formationis reliquias. Cadit autem hoc cum in alia pronomina tum praecipue in illud quod est *alius*, cuius quidem gignendi dandique casus tempore antiquo duplicem flectendi rationem sequebantur et O- et I-declinationem, cum sermo posterus alterutrius terminationes legitimas esse constitueret. Et de priore quidem genere ubi genetivus et dativus formas stirpium in-O exeuntium sibi asciscunt, mihi tacere licet quando Catullus huius modi exempla non praebet [1]). Contra non repudiavit bis priscae linguae memoriam redintegrare altera eiusdem pronominis per *i* formatione locis his: masculinum *alis* dixit LXVI, 28 „coniugium quo non fortius ausit alis“ neutrum *alid* XXVIIII, 15 „quid est alid sinistra liberalitas?“ Multo saepius hac flexione utitur Lucretius potissimum in certis quibusdam verborum formulis, qua de re vide Kuehnii Quaest. Lucr. p. 15. Ceterum de pristina huius pronominis specie disputaverunt Ritschelius in programmate „de declinatione quadam latina reconditiore“ Bonnae 1861 edita et Corssenus symb. crit. p. 298 sq. Quorum ille quidem *alis* ex *alius* contractum esse suspicatur, rectius hic si quid video, docet formas *alis* et *alid* priscas esse et genuinas indeque postea demum *alius* et *aliud* extitisse suffixo *io* adiecto.

Inter pronomina quodam modo referri etiam potest vocula *unus* in qua similiter supersunt priscae declinationis vestigia. Etenim genetivum, cuius forma in-ius desinens sermone sequentium temporum stabilita est, non nunquam veteres ex analogia quorundam aliorum nominum quae videas apud Nevium l. n., item regulariter per *i* expresserunt. Sic *uni* est apud Titin.

---

1) Apud poetas priores atque Lucretium quae passim leguntur omnia conquisivit Neue II p. 157 sq.

com. 7 eiusque auctoritatem qui secutus sit nullum invenio praeter Catullum in certa quidem elocutione XVII, 17: ‚ludere hanc sinit ut lubet nec pili facit *uni*.‘ Semel igitur huic licentiae poeta indulsit: nam alteram dativi formam *uno* domino XXXXV, 14 non debebat pro exemplo afferre Neue II p. 186 ut pote lectione optimi codicis Germanensis refutatam. Qua in re non alienum videtur commemorare eiusdem vocabuli vocativum perraro reperi in litteris Latinis cf. Plaut. apud Prisc. p. 673 P., Varro L. L, VIII, 35, 63. Catullus item semel eum adhibuit in XXXVII, 17: ‚tu praeter omnes *une* de capillatis‘.

Tum in pronomine demonstrativo *hic haec hoc* adnotandum est nominativi plur. genere feminino positi apud antiquiores praeter vulgarem formam etiam alteram *haec* in usu fuisse, quem ad modum saepius dixerunt Plautus et Terentius cf. Donat. ad Terent. Andr. 656. Eun. 582, et Fleckeisen. mus. Rhen. 1849. VII p. 271. Hunc morem praeter ceteros semel Catullus quoque probavit, cum LXIIII, 320 de Parcis ita scripsit: ‚*haec* tum clarisona vellentes vellera voce‘ etc. Neque addubitare debebant Lachmannus eumque qui secuti sunt fidem librorum mire hoc loco inter se congruentium, nisi origine lectionis suspectae prius detecta et explicata. Defendunt sane traditum rectissime Usenerus ann. Jahn. LXXXXI p. 226 et L. Muellerus de re metr. p. 386, quibus in editione sua Schwabius accessit. Locos aliorum qui eadem forma interdum delectati sunt, sedulo congessit Neue II p. 150.

Restat denique agendum de pronominis relativi casibus dativo et ablativo pluralis quos cum oratores tum maxime poetae quippe qui hac re non parum adiuvarentur in versibus faciendis, saepius breviore forma *quis* vel *queis* protulerunt.

Itaque non mirum est quod plura eius generis exempla in Catulli poematis nobis occurunt qualia adscribo: ditivi unum LXIIII, 145. quattuor ablativi LXIII, 46. LXIIII, 80. LXVI, 37. LXVIII[a], 13. Ceterorum similia offert Neue II p. 170 sq.

c. De coniugatione.

Ut substantiva, adiectiva et pronomina vel Ciceronis aetate nondum ad certam declinandi constantiam pervenerant ideoque nec in stirpibus neque in terminationibus omnino iam deposuerant

quae priscam linguam redolerent, id quod Catulli tum Lucretii usus luculenter docet, ita etiam in flexione quorundam verborum satis multa remanserunt veteris consuetudinis vestigia. Cuiusmodi enim formationes maxime poetis adeo placuerunt, ut non tam antiquitatis studio abrepti quam metri rationibus permoti licentias earum passim sibi concessisse videantur. Iam vero ut in singulis de declinatione verborum quoad nunc ad nos pertineat inquiramus, duo potissimum genera secernenda sunt, in quibus perspiciuntur priscae et genuinae coniugationis reliquiae. Quorum quidem altero continetur ubertas quaedam cum formarum tum praecipue terminationum, altero varietas et fluctuatio in declinandi rationibus.

α. In priore genere animadvertendum est

1. verbum *posse* cum nihil aliud sīt nisi compositum ex adverbio *potis* vel *pote* et verbo substantivo *esse*, satis frequenter non solum apud poetas scaenicos antiquos et Lucretium, sed etiam apud Catullum ita scriptum extare, ut suum quaeque locum vox obtineat. In quo simul accidit, ut verbum auxiliare modo addatur modo omittatur prout una alterave forma metro facilius subiungitur. Ac separavit Catullus duas vocabuli partes hisce locis: potis est LXV, 3. LXXII, 7. LXXVI, 24. potis sit CXV, 3 quamquam haec forma nescio an rectius contrahenda sit in *potissit*, ut iam Lipsio var. lect. I p. 14 et nuper Lachmanno in Lucretii V, 881 visum est propter similem scripturam *potisīt* in SC. de Bacchan. Nec parvi hac in re diiudicanda momenti est quod sinceriores libri omnes in lectione *potuisset* conspirant, cuius origo facile intelligitur. Librarii enim illud *potissit* cum quid sibi vellet non dispicerent, es quo dixi modo corruperunt. Tum Lucretio saepius aliquanto *pote* dixit omisso verbo subtantivo velut XVII, 24. XXXXV, 5. LXVII, 11. LXXVI, 16. LXXXXVIII, 1 cf. Verg. Aen. III, 671. Horat. Carm. III, 17, 13. Pers. I, 56. Sed infinitivum *potesse* Plauto et Lucretio familiarem aliasque huius verbi formas minus usitatas quas vide apud Nevium II p. 467 sq., cum ceteris poetis elegantissimis Catullus omnino sprevit.

2. Argumentum porro veteris linguae ubertatis est quod infinitivus praes. pass. duplicem asciscere potest terminationem *i* et *ier*, quae altera satis lato poetarum usu vigebat. Verum tamen haec formarum abundantia qua Plautus et Terentius et

Lucretius mirum quantum delectati sunt, fieri non potuit quin quo longius lingua procederet, eo angustioribus usque finibus coerceretur, donec florentibus Romanorum litteris certa in eo genere scribendi norma constituta est. Quam ob rem suffixum *i* legitimam vim consecutum est in sermone pedestri, ut pote qui multo poesi enixius recentiorem usum sectaretur idcircoque omnes etiam formas minus gratas et elegantes quam maxime devitare studeret. Contra in poesi veteris moris recordatio longe diutius obtinuit vel ideo quod plenior illa terminatio metri rationibus quodum modo commendabatur, unde ne nobilissimis quidem versuum artificibus temporum Augusti sicut Vergilio Horatio Propertio talia exempla prorsus desunt. Iam ad Catullum ut revertamur, quam parcus hic fuerit in eiusmodi formarum licentia adhibenda si conferatur cum Lucretio aequali, breviter indicari potest: Lucretius enim cum octies et quadragies infinitivum in-ier finivit, Catullus idem ncn plus sexies ausus est et saepissime quidem h. e. quinquies in carmine nuptiali LXI nitidissimo, semel in disticho elegiaco. Sic legimus in glyconeis LXI, 42 citarier. 68 vincier vel rectius fortasse *nitier*. in pherecrateis 60. 70. 75 compararier. postremo LXVIII[b], 141 componier. In his quantum poeta metro concesserit, ex eo colligas quod omnes infinitivi in ea versus sede collocati sunt quae dactylicum semper pedem exposcit vulgaribus formis nullo modo expletum cf. Horat. Carm. IIII, 11. 8. ‚spargier agno‘ in versu Adonio et quae huius generis similia sunt accurate collecta a Prollio p. 34—38 et Nevio II p. 309—313. Ceterum de antiquiore hoc suffixo quod ad omnes pariter coniugationes pertinebat, explicatius egit Lange in actis acad. Vindobon. tom. X et XXVI p. 115 sq. cf. etiam Corssenus symb. crit. etc. p. 465.

3. Non magis perspicuae sunt pristinae coniugationis reliquiae in terminatione imperfecti I-coniugationis quae in vulgatis grammaticis quartum locum tenet. Illud enim tempus apud scriptores veteres haud raro in-*ibam* formabatur, ita tamen ut longe praevaleret regularis terminatio. Quod etsi verum est, tamen de origine priscae illius formationis non aequaliter inter viros eruditos constabat. Primo quidem conspectu haec quaestio facile videtur absolvi posse eo quod ad contractionem vocalium *i* et *e* confugias. Et fuit sane

ista fere communis grammaticorum interpretatio veluti Struvii gramm. Lat. p. 137, Reisigii schol. Lat. p. 225, Curtii temp. et mod. p. 291, nisi quod Zumptius § 162 syncopen litterae *e* statuit. Ab his omnibus discrepat Corssenus II p. 736 et symb. crit. p. 537 sq. 539 sq. recte nisi fallor iudicans ex duobus terminis alterum *ibam* sermonis vere antiqui esse, cum alter *iebam* postea demum ex analogia E-coniugationis exstiterit. Tales igitur formas Catullus tres usurpavit quas affero: custodibant LXIIII, 319. scibant LXVIII[b], 85. audibant LXXXIIII. 8. Ex his formam tantum *scibant* codices integram servarunt, in ceteris manus librariorum agnoscimus qui imperite formas vulgares metro incommodas correxerunt. — Quam late autem patuerit vel apud posteriores hoc scripturae genus, optime declarant loci quos Nevii diligentia II p. 346 sq. collegit.

4. Praeterea ut in imperfecto I-coniugationis suffixum illud *ibam* pro pleniore forma adhibere nullo plane tempore desierunt poetae, ita ne futuri quidem eiusdem coniugationis prisce in-*ibo* terminati omnino evanuit imitatio aemulatioque cf. L. Muellerus de re metr. p. 402. Atque huius formationis unum in codicibus Catullianis exemplum superest XXI, 6 ubi libri optimi *experibus* vel *experibis* suppeditant, unde nec inter priores nec inter recentiores defuerunt qui veteris futuri formam *experibis* hoc loco scribendam esse putarent ut Muretus Scaliger eosque secutus Rossbachius. Quamquam si quis orationis structuram in hac carminis parte vel obiter consideraverit, futuri nulla ratione hic locum esse posse confidenter habebit. Nam de re praesenti cum agatur, singulae sententiae etiam praesentibus temporibus efferantur necesse est, velut recte sese excipiunt ita: nam simul es — iocaris una — haeres ad latus. Quid igitur? num credibile cuiquam videbitur poetam elegantissimum in enunciato subsequenti aequabilitatem sermonis temere neglexisse adiecto tempore futuro plane intolerabili? A sensu igitur prorsus ineptum est illud *experibis*, non item a forma, si quidem leguntur apud Plautum et Terentium verba deponentia quae activam terminationem induerunt, velut *comperior* et *comperio*, *largiar* et *illargibo* quibus utitur Rossbachius in adnot. crit. p. X. (cf. Struve l. n. p. 152, Neue II p. 341 sq.) At vero ne plura verba faciamus de re

simplicissima, vide quaeso unde codicum lectio procul dubio exorta sit. Librarius archetypi quod ex exemplo litteris capitalibus conscripto olim ductum fuisse satis probabilis est sententia Schwabii praef. edit. p. XXVIII, hunc errorem commisit, ut in EXPERIRIS quod ante oculos habuit, litteras R et B inter se confunderet et *experibis* calamo exararet, id quod vel integrum vel paullo mutatum in *experibus* ceteras deinceps membranas occupavit. Quod cum ita sit, vulgata lectione *experiris* nihil verius aptiusque hoc loco cogitari potest.

5. Pergit disputatio ad reduplicationem perfecti antiquitus multo frequentius quam postea adhibitam. Justae ac primitivae reduplicationis haec vis est, ut stirpis vocalis eundem sonum retineat. Nihilo tamen secius vocabula non nulla restant, in quibus veteres more Graecorum vocalem reduplicatae syllabae aliquando in *e* verterint. His adnumerandum est quod praeter alia Gellius VI, 9 commemorat perfectum *tetuli* semel Lucretio VI, 672, tribus locis Catullo quidem probatum cf. LXIII, 47: animo aestuante rusum reditum ad vada *tetulit.* ibid. 52: — ad Idae *tetuli* nemora pedem. LXVI, 35: — si reditum *tetulisset.* De re ipsa lege quae scripserunt Corssenus II p. 249 et L. Muellerus de re metr. p. 403. Ceterorum exempla similia contulit Neue II p. 357. — Praeterea ex eo quod Gellius l. n., Diomed. I p. 376, Charis. III p, 218, Priscian. X p. 896 formas *tuli* et *tetuli* a *tollo* dirivant, concludendum mihi videtur praeteriti temporis formam *sustuli* rectius a *sustollo* deduci, ut bis apud Catullum legitur LXIIII, 210: ‚dulcia nec maesto *sustollens* signa parenti‘ et ibid. 235: ‚candidaque intorti *sustollant* vela rudentes‘.

6. In imperativo denique tertiae quae dicitur coniugationis item factum est, ut quattuor illa verba *dicere ducere facere ferre* quae in sermone proximorum temporum finalem *e* litteram constanter abiecerunt, apud scriptores veteres pinguiore etiam terminatione fruerentur cuius rei documento est exemplorum collectio a Nevio II p. 336 sq. accurate facta. Talem imperativi formam Catullus in uno ex illorum numero verbo certe assumpsit cum *face* posuit XXXVI, 16: acceptum *face* redditumque votum. Id qui recte perceperit, non dubitabit quin eadem ratione vel ante vocalem poeta dixerit LXIII, 78: *face* ut hunc furor agitet. ibid. 79: *face* uti furoris ictu etc. neque aliter 82: *face* cuncta

mugienti fremitu loca retonent. Codicibus mss. qui tribus his locis sine exceptione in breviore forma conspirant nullam prorsus fidem esse dudum intellexerunt interpretes. Sed alio loco LV, 10 num *reduce* quod Handius duce Datano coniecit an *reduc* quod Schwabius plerorumque librorum auctoritatem secutus impressit, Catullo reddendum an plane aliter locus fingendus sit ut non nullis visum est, propter miserum versus habitum pro certo constitui nequit. — De his imperativis vide etiam Corssenum II p. 602. Superest autem forma quaedam imperativi quam Catullus primus sibi concessisse reperitur. Ad analogiam enim illorum imperativorum quos nisi correptos elegantior aetas non comprobavit, semel formae *inger* licentiam adhibuit metri nisi fallor necessitate victus in carm. XXVII, 2: ‚inger mi calices amariores'. Sic recte habent codices Gellii VI, 20, 6 et glossa Philoxeni apud Labbaeum p. 93[b] et 228[a], libri Catulliani male *ingere*. Post poetam Veronensem similiter qui dixerit inter dactylicos solus invenitur Martialis VIII, 44, 9: rape, conger, aufer, posside: relinquendum est. cf. L. Muellerus de re metr. p. 401. Priore igitur quaestionis parte absoluta nunc quidem ad alteram transeamus qua

β. de verborum quorundam fluctuatione in declinandi rationibus agitur. Quo in genere Catulli consuetudinem ut breviter complectamur, etsi paucula minus classica ut ita dicam admisit, si cum perfectissimis poesis auctoribus saeculi Augusti eum comparaveris, tamen eadem et veterum usu tradita erant ideoque nequaquam vitiosa et ipsius aetate nondum plane obsoleta, id quod ex parte demonstrat posteriorum usus. In universum autem sequitur hac quoque in re communem dicendi normam, ut intelleges ex iis quae iam in medium proferemus. Illa nempe fluctuatio per omnes coniugationes aeque pervulgata et vel eam ob causam antiqui sermonis uberioris formam ac speciem prae se gerens apud Catullum in quattuor omnino verbis apparet qualia sunt *lavare fulgere deponere potiri*, ut ordinem tueamur vocalium copulativarum quibus singulae coniugationes deinceps inter se distinguantur.

Verbum igitur *lavandi* quod tempore florentis latinitatis perfectum tantum modo atque supinum cum temporibus inde derivatis constat a tertia coniugatione mutuari, eiusdem terminationes vel in praesenti tempore sibi vindicavit semel apud

Catullum in trimetro scazonte carminis XXXVIIII, 14: ,aut qui lubet qui puriter *lavit* dentes', ubi salvo metro etiam *lavat* scribere licuit. Quod cum a se non impetraret poeta, facile adducor ut eum mero antiquitatis studio ductum illo modo dixisse putem. Contra metri commoditatem sine dubio respexerunt Vergilius Georg. III, 359. Aen. III, 663 et Horatius Carm. IIII, 6, 26 quoniam singulis locis formae *lavit* vocalis succedit.

Alterum deinde verbum *fulgere*, quod vulgo sequitur leges E-coniugationis, apud Catullum aliosque fluctuat inter hanc et tertiam coniugationem velut docent LXVI, 94: ,proximus Hydrochoi fulgĕret Oarion' et ibid. 61: ,sed nos quoque fulgĕremus'. Potest huc etiam referri verbum *tuendi* pariter sine littera vocali *e* saepius derivatum. Eiusmodi forma quae est *tuor* olim in Catulli carmine XXI, 5 legebatur hodie rectius inter Priapea LXXXV, 5 locum tenente. Utriusque verbi usus quem modo explicavimus, dactylicorum maxime familiaris est Lucretio neque omnino desideratur apud Vergilium, Lucretianae dictionis imitatorem satis frequentem cf. Kuehnii Quaest. Lucr. p. 20 et Proll p. 30—34.

Accedit perfectum act. verbi *ponere* temporibus antiquis haud raro ex analogia I-coniugationis in-ivi formatum, qua de re egerunt Corssenus I p. 419 sq. II p. 583. 585 et L. Muellerus de re metr. p. 401. Atque hac ratione semel Catullus fecit *deposivit* in stropha altera carminis XXXIIII ad laudes Dianae celebrandas compositi, ubi v. 7 sq. leguntur: ,quam mater prope Deliam | deposivit olivam'. Sic primus emendavit Palladius codicum *deposuit* scripturam metro ut observare licet non accommodatam. Quantopere autem veteribus placuerit talis huius perfecti conformatio, poetarum scaenicorum et inscriptionum exemplis probarunt Struve l. n. p. 198. 281 sq. et Neue II. p. 386.

Tertiae denique coniugationis unum praebet Catullus verbi exemplum vulgo quartae legibus subditicii quale est *potiri* LXIIII, 402: ,liber ut innuptae poteretur flore novercae'. In his item librarii manum poetae depravarunt, cum regularem formam *potiretur* substituerent prorsus ineptam. Ceterum eiusdem formae ut de aliis taceam, locus est apud Attium Trag. rell. 590. Terent. Phorm. 469. 830. Val. Flacc. VII, 54 nec

saepius Catullo fluctuat Lucretius qui praeeunte Ennio ann. 78 et trag. 260 *potitur* tertiae attribuit coniugationi in II, 653 quamvis in ceteris quae huc pertinent verbīs tam longe progressus, ut poetas comicos epicosque si non superare, tamen exaequare reperiatur. Generatim de hoc fluctuationis genere vide Corsseni symb. crit. p. 538 sq., Reisigii schol. Lat. § 152 p. 250 sq. cum Haasii nota 293, Lachmanni comm. Lucr. V, 768. — Collegit exempla Neue II p. 320 sqq.

Iam restat seorsus exponendum

d. De adverbio.

Neque vero in animo est de variis adverbiorum generibus plenius nunc disquirere, primum quod non ita magna eorum minus usitatorum copia prostat in Catulli carminibus, deinde ne ligna in silvam ferre videamur post ea quae iam ab aliis de hac re fuse copioseque disputata sunt. Itaque satis habemus ea tantum adverbia proferre quae ob maiorum quandam venerationem et observantiam ex uberrimis priscae linguae fontibus Catullus hausit improbata quidem posteriorum usu, sed minime reprehendenda. Quamquam multo cautior eatenus fuit Lucretio, qui cum materiam plane diversi generis tractaret eandemque rudem atque incultam, ‚patrii sermonis egestate‘ quam pluribus locis aperte conqueritur, saepissime cogebatur cum alia vocabula tum maxime adverbia ad regulas analogiae recens fingere collata quidem a Bonterwekio, Lucr. Quaest. p. 40 et Prollio l. n. p. 55. His praemissis ad propositum ut accedamus, res notissima est in non nullis adiectivis accidere ut licet *O*-declinationem sequantur, tamen adverbia etiam in-*ter* formata admittant, sed ita ut vulgata et regularis *e* terminatio in eisdem locum habere non desinat. Ex eorum numero quae in sermonem florentem transierunt, non opus est singula afferre quando in vulgus cognita sunt cf. Reisigii schol. Lat. § 134 p. 208. — Prisc. XV, 3, 13. Sed cum prioribus qualia Catullus communia habet eius modi adverbia postea obsolefacta, talia sunt paucissima: *miseriter* LXIII, 49 ut Ennius teste Prisciano I p. 621 K. et Dec. Lab. 60. Tum *puriter* bis XXXVIIII, 14 et LXXVI 19 cf. Pomp. Bon. 10. Nov. 97 ac *properiter* in fragmento hoc: ‚animula miserula properiter abiit‘ cf. Nonius p. 517, cum

Diomedes p. 513 P. eundem versum Sereno adscribat; item porro dixerunt Pac. 332 et Att. 629.

Disputatione igitur de formis antiqui sermonis ad finem perducta non alienum videtur paucis comprehendere quae pro certo nobis statuisse videamur:

1. Catullus etsi ea floruit aetate qua lingua Latina per Ciceronem et Caesarem ad summam perfectionem est provecta, tantum tamen aberat ut presse aequalium suorum consuetudinem scribendi sectaretur, ut haud paucis in rebus quae ad genus orthographicum et flexionem verborum pertinent, veterum poetarum sermonem imitaretur vel potius conservaret.
2. Saepe certe numero non tam antiquitatis studio quam metri causa ut passim iam adnotatum a nobis est, priscis formis indulsit, quamquam hoc multo minoris ei momenti fuisse quam Lucretio censemus: etenim de admirabili arte et elegantia qua primus Romanorum tredecim versuum Graecorum genera Latinis modis adaptavit, nemo est quin aequabiliter sentiat.
3. In renovanda antiquitatis memoria eo differt a Lucretio quod priorum poetarum vestigia non tam anxie quam hic pressit, si melica potissimum carmina Catulli respicis, quoniam ne convenit quidem studiosa haec imitatio lyricae poesi ut pote ab altiore dicendi genere alienae et sensus motusque animi sinceros nobili quidem, sed facili commodaque oratione explicanti. Ubicunque vero ad doctrinae ostentandae rationem delabitur velut in iis carminibus quibus Alexandrinorum poesin Latinis versibus expressit, non sine grandiloquentia quadam formas vetustas et ex parte iam obsoletas adhibuit.

B. De formis sermonis vulgaris.

Catullus cum antiquae scripturae consuetudinem satis frequentibus cum elocutionum tum formarum exemplis probavisse inveniatur, multo tamen angustioribus finibus circumscripsit sermonis vulgaris licentiam, qua e dactylicorum numero saepissime Lucretium usum esse manifestum est ex iis quae passim de hac re adnotavit Lachmannus in commentario carminis Lucre-

tiani et quae diligenter praeter alios collegit Kuehn diss. p. 23 sqq. Ad institutum igitur ut veniamus, ne ab hac quidem quaestione omnino excludi potest de orthographia disceptatio, sed aliam atque initio huius disputationis rationem nunc ingredi placet eam quidem ut primum de consonis, tum de vocalibus iisque quae proxime his accedunt disseramus.

a. De consonis.

1. In non nullis vocabulis pinguius nobis occurrit scribendi genus insertione litterarum quarundam effectum id quod primum cadit in *c* consonam quae saepius ante *t* et *x* locum habet. Neque vero credas hunc morem vere esse antiquum quod obiter rem consideranti facile videri possit, immo ex linguae usu quotidiano ortus diu viguit non solum in libris scriptorum sed etiam in insriptionibus, quibus insunt formae *extincxit nanctus iuncxit coniuncx* similes aliae cf. Corssenus I p. 261 et de usu Plautino Ritschelii Proll. Trin. p. CII. Quod si verum est, non satis liquet cur Lachmannus qui in Lucretii III, 1044 *restincxit* formam non dubitaverit retinere, locis duobus IIII, 641 et V, 1195 spreta codicum fide maluerit *coturnicibus* et *adiunxit* imprimere. Catulli quidem membranis eius modi scripturae exempla duo exhibentur certa, qualia sunt mulcta LXIIII, 190 et mulctantes ibid. 192. Sed fortasse huc etiam spectat si recte suspicatus est Hauptius, Quaest. Cat. p. 23 illud *ancxiis* LXI, 46 quod Lachmanno magnopere placuit. Locum enim vitiose in libris sic conceptum: ‚quis deus magis amatis‘ multi homines docti coniecturis partim parum aptis quas longum est deinceps enumerare tentarunt, sed omnium conatus et sententiam et formam litterarum si considero, longe superasse mihi videtur Hauptius.

2. Non minus offensionis habet quod in suffixis quibusdam qualia sunt *esimus, esus, ies* aetate sermonis expoliti unice legitima, ante *s* saepius litteram *n* insertam invenimus qui mos linguae vulgaris est et sane antiquus quoniam uberiores illas terminationes Plautina aetas constanter probavit docente Ritschelio Proll. Trin. p. CIII. Extritam vero politiorum temporum consuetudine *n* litteram plebeius rusticusve sermo cum aliis licentiis diutius servavit ita quidem, ut nec nobiles scriptores prorsus repudiarent primitivae formationis memoriam non nunquam

redintegrare. Hac ratione Catullus bis in uno eodemque versu adverbia finxit numeralia *quotiens* et *totiens* LXXI, 5 ita: ‚nam quotiens futuit, totiens ulciscitur ambos‘. Unde fieri non potuit quin ex analogia talium formarum etiam in alia vocabula in quibus omnino locum non habet, littera *n* saepius se insinuaret veluit in *thensaurus* apud Plautum aliisque quae ex inscriptionibus conquisivit Corssenus I. p. 252. 255. — De usu Lucretii vide Lachm. comm. p. 280 et 395.

3. Plane eodem modo factum videmus ut pro simplici *x* littera interdum *xs* scriberetur, quod primum accidit in SC. de Bacchan., ubi *exstrad* legitur, tum paullo posterius *saxsum* in sepulcro Scipionum teste Corsseno I p. 296 sq., qui illam tradit scribendi rationem usque ad proxima post Augustum tempora in usu fuisse in monumentis publicis, praevalente tamen regulari per *x* scriptione. Talem igitur formam Catullo Schwabius restituit emendatione certissima eademque simplicissima, cum LXVIIIᵇ, 143 ex optimorum codicum *deastra* facillime *dexstra* elicuit: nam permagna similitudo quae inter *a* et *x* litteras intercedit maiusculas quibus exemplum unde liber archetypus originem traxit, olim videtur scriptum fuisse (cf. supra) plurimos librariorum errores procreavit[1]).

4. Porro iam antiquissimis linguae monumentis quoad eorum reliquiae ad nos pervenerunt, edocemur in iis nominibus verborumque formis in quibus labialis *m* et dentalis *t* vel *s* concurrant, litteram *p* vulgo interponi et sonorum inter se copulationi inprimis aptam et pronuntiationi mirum quantum subvenientem cf. Prisc. p. 854. Quibus de causis etiam posteriores traditam hanc more maiorum consuetudinem in scribendo retinuisse iure putantur neque aliter Catullum dixisse testantur sumptuosas XXXXIIII, 9. ademptum LXVIIIᵇ, 93. contemptam LX, 5 et quae alibi extant huius generis similia. — In his igitur cum *p* euphonicum nihil habeat dubitationis, plane inutile est neque ulla etymologiae lege defendi potest, etsi ne hodie quidem desunt qui summo opere studeant defensitare, in verbo quod est *temptare*. Novum huic rei lumen attulit Corssenus I p. 122 rectissime docens ut a verbo *intendere* participium *intentus* ab

---

1) Sic in Lucr. III, 596 libri mss. *easangui* pro *exsangui* et VI, 385 *eatulerunt* pro *extulerunt* offerunt cf. Lachm. comm. p. 370.

eoque *intentare* derivatum esse, ita etiam intensivum *tentare* a participio *tentus* verbi *tendere* manasse. Veram esse hanc explicationem cum per se intellegitur tum egregie confirmatur lectione Germanensis et Hamburgensis qui in XI, 14 *tentare* praebent, non *temptare* qualem formam vulgo impresserunt editores communem scribendi usum sequentes.

5. Postremo huc revocanda est fluctuatio dentalium *d* et *t*, quae cum in exitu vocabulorum non diversam pronuntiationem admittant (cf. Charis. p. 87 P.) saepe inter se confunduntur tam in codicibus quam in inscriptionibus cf. Corssenus I p. 193 sq. Maxime autem huius fluctuationis locus est in praepositionibus et coniunctionibus quae libros Plautinos tam frequenter occupavit ut Ritschelius Proll. Trin. p. XCVIII sq. ad morem illorum temporum religiose servandum singulas eius modi voces ubique *t* littera terminaret. In Catullianorum carminum exemplaribus pauca admodum huius scripturae exempla feruntur quae adscribo: aput LXIII, 53. haut XXVIIII, 8 et LXVI, 35 nisi quod *h* omissum est ut saepe etiam in membranis Vergilii monento Wagnero, Orthogr. Verg. p. 430. deinde pro vulgata lectione sed LXIIII, 68 Lachmannus cui Schwabius adstipulatus est, melius nisi fallor *set* scripsit vestigia secutus optimorum librorum qui perperam *si* tradunt. Contra soli librariorum imperitiae adiudicandum est *alit* pro *alid* XXVIIII, 15 qua in re item illi peccarunt in Lucretio cf. Lachm. comm. p. 53 155. 286.

In consonarum geminatione quam veteres poetae post eosque maxime Lucretius saepe metro concesserunt, quippe ut syllabam per se correptam producerunt, notandum est

6. litterae *l* in vocabulis suffixo *ela* vel *ella* praeditis vehementer fluctuare in codicibus duplicationem. Atque hanc varietatem scripturae ad certam normam redegisse egregia Lachmanni laus est qui explorata librorum antiquissimorum orthographia in comm. Lucr. p. 204 notam omnibus regulam hanc quidem proposuit, ut simplici *l* verba scribenda essent in quibus *e* litteram syllaba longa praecederet, duplici ubi prima brevis esset. Neque falso eum praecepisse recte intellexit Corssenus I p. 226 sq. Membranae vero Catulli non ubique cum illa lege consentiunt, bene scilicet habent loquella LV, 20 semel hoc loco obvium, sed male quod saepe occurrit querela LXIIII,

130. 195. 223. LXVI, 19. Verum tamen hoc librariorum potius quam poetae inconstantia factum esse ipsum illud *loquella* manifesto indicat. — Similiter geminata littera opus esse in *pilleatus* quod XXXVII, 2 legitur, sententia est Fleckeiseni Orthogr. Lat. p. 25 nec obstare videtur Germanensis in quo alteram *l* huius vocis erasam esse Duebnerus adnotat.

Num vocem *religio* Catullus adaucta prima syllaba dixerit paullo infra ubi de eius prosodia sermo erit aptius explanabimus. In hoc scilicet nomine cum alius aliam scribendi rationem sequeretur, pariter omnes et rerum auctores et poetae in perfectis *repperi rettuli reppuli rettudi* ac formis inde derivatis *p* et *t* consonas propter etymologiam semper geminarunt, quando illa quidem tempora ex *repeperi retetuli repepuli* cet. elisa littera *e* prodierunt, cf. Corssenus I. p. 38. Itaque etiam Catullus LXXVIIII, 4 *reppererit* scripsisse censendus est quod solus exhibet Datanus ceteris et optimis quidem *repererit* tuentibus metro non accomodatum.

Verbo attingam eundem Dati codicem pro *aridus* constanter *arridus* praebere I, 2 et XXXXVIII, 5 idem quod in Lucretii Quadrato accidere monet Bouterwek l. n. p. 16. Quam inutilis haec sit scriptura, ultro quisque comprehendet: nam *a* littera iam per se producta est. — Contra pro *rusam* gingivam XXXVIIII, 19 Lachmannus rectius *russam* impressit velut in Lucr. IIII, 75 russaque vela scripsit propterea quod radix huius vacabuli cum similibus semper *u* brevem habet et quod Apuleius apol. p. 393 Oudend,, qui versus huius carminis 18 et 19 respexit, item *russam* legit littera *s* duplicata cf. etiam fauces russae Enn. Trag. rell. 356 Rib., russi Batavi Mart. XIIII, 176, 1.

In eiectione consonantium primo loco dicendum est

7. de *h* littera quae cum pervaga sit atque pertenuis, diversas per temporis processum mutationes passa est cf. Quintil. I, 5, 19. Atque ista eius in scribendo omittendoque fluctuatio quae in antiquissimis tamen inscriptionibus nondum locum obtinet, inde a Caesaris aetate magis magisque increbuit teste Corsseno I p. 103. Quod cum ita sit, non defuerunt grammatici nec vetustiores nec recentiores qui in ambigua re certam scribendi constantiam statuere pro se quisque studerent, sed cum plerique subtiliore quadam cognitione et doctrina qua opus

est ad verum rectumque inveniendum carerent, fieri non potuit quin alius aliud praeciperet non magis sibi inconstans quam ipsius antiquitatis usus. Quare multo minus nos mirabimur videntes quanta licentia olim librarii hanc scribendi fluctuationem auxerint de suo ingenio ubicunque fieri potuit auctoribus quam plurimum largientes. Sic in Catullianis codicibus multa deprehenduntur vocabula vitiose sine spiritu exarata itemque multa prave cum eodem prolata (cf. Gell. II, 3, 3. 4). Ad prius genus fere haec pertinent: aedus arundinosus amadryades aut endecasyllabi edera ederigera erus [1]) era elleborus olus ortus ortulus iacinthinus nec non similia. Editores singulis his vocibus recte, si etymologiam et ex parte Graecam linguam respicis, litteram *h* praeposuerunt cf. etiam Festus p. 423. Posterioris generis sunt humor humidus humerus alia, quorum vulgarem per *h* scriptionem nulla etymologiae lege defendi posse Corssenus I p. 107 not. docet. Quam late autem in ore vulgi patuerit mendosae aspirationis consuetudo, luculenter nobis ostendit Catullus epigrammate LXXXIIII, quo Arrium quendam deridet ut pote *chommoda* pro *commoda, hinsidias* pro *insidias, Hionios pro Ionios* loqui solitum cf. Quintil. I, 5, 20 qui hoc carmen respexit et alia quoque eius modi exempla memoravit. Praeterea legas velim de hac re Corssenum l. n. et Schuchardtium de vocalismo serm. vulg. Lat. I. pag. 73 sq.

Accedit quod etiam in mediis vocabulis litterae *h* sonus tam tenuis fuit ut frequenter abiiceretur praecipue inter binas vocales concinentes qua de re infra agemus explicatius. — Neque vero silentio praetermittendum videtur in inscriptionibus posteriorum temporum pro *h* interdum *ch* scriptum extare, cuius usus causa inde repeti potest quod homines indoctos simplicis aspiratae oblivio paullatim adeo ceperat ut mala aliorum pronuntiatione inducti in locum *h* litterae *ch* substituerent itaque etiam scriberent in monumentis publicis perinde atque in codicibus cf. Corssenus I p. 112. Ita scriba libri Germanensis pro *mihi* et *nihil* constantissime *michi* et *nichil* exaravit.

8. Sequitur nunc apte disputatio de litterae *n* eiectione cuius et in omnibus verborum partibus locus est et ut nulla

---

1) Quamquam in hoc nomine contrariam scribendi rationem secutus est Ritschl. Proll. Trin. p. XCVIII probante Fleckeiseno ep. crit. p. 10.

admodum appareat maior sermonis vulgaris licentia. Excidit autem primum quidem in stirpibus vocabulorum ante *s* consonam satis certe frequenter, si exempla conferas ex inscriptionibus quae attulit Corssenus I p. 254. Qualia huius generis in uno alterove libro Catulliano probo reperiuntur, talia sunt: demostres LV, 2 Santen. et Hamburg. mostrum LXIIII, 101 Colbertin., mostra CIIII, 4 Datanus ut videtur prima manu. Item elisa *n* festra pro fenestra dixit Ennius apud Macrob. Sat. III, 12 p. 305 Jan. neque aliter ac Catullus scribere voluit Vergilius cf. Wagneri Orthogr. Verg. p. 456. 458. Fleckeisen. ann. Jahn. LX p. 261. — Aliquanto deinde saepius *n* omittitur apud poetas scaenicos antiquos in terminationibus participiorum praes. act. A- et E- coniugationis, qua de re egit Corssenus I p. 252 et supplem. crit. p. 245. Huius elisionis unum in perscrutandis Catulli carminibus exemplum inveni, sed fide dignissimum quod est *antistas* VIIII, 2: ‚antistas mihi milibus trecentis'. Sic omnes habent sine ulla discrepantia codices boni nec causam sane video cur traditioni planissimae et certissimae editores diffisi sint. Formam e sermone plebeio vel familiari assumptam cui exempla similia ne Lucretio quidem absunt, argumentis satis idoneis confirmarunt Handius observ. crit. p. 44 et Kochius in mus. Rhen. VIIII, p. 305. XI, p. 640. — Eidem porro consonae saepius accidit, ut duplicata appareat in certis quibusdam vocabulis quorum pars prior ex *con* praepositione constat, altera initium capit ab *n* littera. In hoc tamen parium consonarum concursu alterutram *n* loco decedere ex antiquissimis membranis observavit Lachm. ad Lucr. p. 136. Itaque scribendum esse *conubium conectere coniti* et quae alia sunt cognata. Veram esse hanc regulam liber testatur Thuaneus Veronensi aliquanto vetustior, cuius longe maxima est in redigendo Catulli carmine LXII auctoritas: praebet enim is quidem vv. 27 et 57 aperte *conubium,* reliqui cum hic et alibi semper geminationem litterae tueantur.

Litteram *m* bis Catullus extrusit in Graeco nomine tympanum LXIII, 8 et 9 metricis causis, scilicet ut syllabam positione productam corriperet, quod primus recte percepit Scaliger cf. etiam Varro Sat. Men. 31, 36.

9. Haud raro etiam *r* littera decidit in adverbiis *prosus* pro *prorsus, rusum* pro *rursum, susum* pro *sursum* etc. maxime usitatis

in sermone poetarum comicorum, qua de re vide Ritschl. Proll. Trin. p. CIV. Quorum rationem pluribus locis expressit Lucretius (cf. Lachm. comm. p. 144. 217), sed semel tantum Catullus in LXIII, 47 ubi codices optimi Germanensis Colbertinus Santenianus habent *aestuanter usum*, quae lectio si extremam *r* litteram sequenti ut par est voci adiungis, poetae manum olim *aestuante rusum* dedisse luculenter docet. Atque de hac forma vulgari post Scaligerum qui dubitaverit nullum equidem invenio recentiorum interpretum. Ceterum de eiusmodi licentia rustici sermonis disseruerunt Prisc. p. 559. Vel. Long. p. 2237 et nostro quidem saeculo optime Corssenus I p. 243 et symb. crit. p. 396.

10. Fere eadem usus frequentia *t* littera in mediis vocabulis eiicitur ante proximam consonantem, id quod potissimum in praepositionem *post* cadit. Quem morem itidem ex usu linguae quotidiano ortum esse patet: nam litterarum inter se copulationes quales sunt *st-t, st-c, st-qu, st-m* pronuntiationi nimis erant molestae atque incommodae ob eamque rem factum est, ut consona *t* vivido vulgi ore facile extereretur. Ex eo genere sunt postemplum posquam posconsulatu alia in inscriptionibus obvia et *posne*, quod in Ennii ann. 235 Vahl. pro *poste* legendum coniecit Corssenus I p. 183 adnot. Liber Catulli Datanus solus eius modi formam servavit praepositionis *posquam* tribus quos pono locis XI, 23. LXIIII, 313. LXXXIIII, 11. Probavit id quidem Bergkius, probavit item et inter verba poetae recepit Rossbachius ceteris vulgatam scripturam tuentibus. Non recte fortasse. Etenim Datani fides num prorsus in hac re spernenda sit, valde dubito: nam cum insignem inter codices Catullianos locum obtinet tum magnopere cavendum, ne licentia poetae Veronensis communi ceterorum usu quasi artissimo vinculo astringatur cf. Haupt. Quaest. Cat. p. 70. Ritschl. mus. Rhen. VII p. 571.

11. Postremo agendum est de sibilanti *s* littera qua nulla fere *s*aepius in lingua Latina omittitur cum alibi tum in exitu vocabulorum. Et in mediis quidem vocibus praecipue ante nasalem *n* evanuit in certis verborum formis particula *ne* adauctis velut demonstrant ain' pro aisne, satin' pro satisne, viden' pro videsne, quod postremum ter apud Catullum exstat LXI, 77 et 98. LXII, 8 cf. Ritschl. Proll. Trin. p. CVI. In altero deinde genere unde potissimum evenerit, ut scriptores

veteres adeo frequenter sibi permitterent litterae *s* in fine nominum per apocopen quandam abiectionem, recte explicat Corssenus I, p. 294 docens priores poetas illam *s* finalem non tam ut plenam quam ut tenuem consonantem qualis tum in sermone plebeio valeret, elocutos esse, quare vel in scribendo facillime decidere potuerit (cf. etiam Quintil. VIIII, 4, 38). Certe quidem Catullus positionem insequentis dictionis consona prima effectam devitare curavit, cum semel toto opere CXVI, 8 in ea pentametri sede ubi dactylus est legitimus, syllabam *is* correptam hunc in modum truncaret: ‚at fixus nostris tu *dabi'* supplicium'. Quo loco codicibus uno consensu *dabis* offerentibus nullam omnino fidem esse dudum intellexerunt. Hoc genus scribendi quod Cic. or. 48, 161 subrusticum appellat, multo pluribus exemplis probavit Lucretius item metri necessitate victus cf. Lachmann. comm. p. 28 sq. et de universa re etiam L. Muellerus de re metr. p. 345. Reisig. schol. Latin. § 48, p. 61.

Jam pauca addenda sunt

b. De vocalibus.

In his rusticus fit sermo, si vocalis primae syllabae vocabuli eundem quem altera sonum habet, id quod non magis in substantivis quam in adiectivis cernitur cf. Corssenus II p. 369. Ex illorum nummero affero e. g. *lucuna* pro lacuna ter probatum Lucretio (cf. Lachm. ad Lucr. III, 1031), *tugurium* pro tegurium quod vel sermo urbanus sibi vindicavit: inter haec referenda sunt *rutundus rubustus* alia pro *rotundns* et *robustus* apud Lucretium et ipsum non semel obvia. Quodsi constat ex adiectivis unum esse *iucundus* quod exculta lingua Latina in perpetuum adoptaverit, mirum sane est in Catulli carminibus praeter formam hanc regularem saepius nobis occurrere scripturam *iocundus* libris aut omnibus aut uno alterove exhibitam. Qua de re comparari possunt hi loci: VIIII, 9. XIIII, 2. XXXXVI, 3. L, 16. LXII, 26. 47. LXIIII, 161. 215. LXVI, 82. LXVII, 1 bis. LXVIII a, 16. CVIIII, 1 cf. Laber. 121. Ut codices fluctuant, ita ne editores quidem veluti Lachmannus Rossbachius Schwabius certam scribendi normam quaesiverunt ibique tantum ubi libri inter se consentiunt, formam illam insolitam praetulerunt. Quamquam haec scriptura cuius mentionem

fecimus, ne plane memoria eius aboleretur, omnibus legibus repugnat ex quibus singulae vocales mutantur et debilitantur nec quidquam aliud est nisi librariorum inconstantia cf. Corss. I p. 299 et symb. crit. p. 546.

Longe aliter sese res habet in scripturae *ae* et *e* confusione quae quidem ratio ex prava vulgi pronuntiatione profecta per omnia tempora communi usu duravit. Ac primum quidem hoc Lucilii aetate factum esse tradit Varro L. L. VII, 96. Itaque cum iam antiquitus vehementer fluctuaret singulorum vocabulorum scribendi genus, fieri non potuit quin etiam in codices irreperet ista confusio eoque maior esset quo longius quis ab antiquitate distaret liber manu scriptus. In re igitur diiudicanda num per *e* an per *ae* certa quaedam vocabula rectius proferantur, maximi quidem momenti sunt cum antiquissimae membranae ideoque fide dignissimae tum inscriptiones et reipublicae et saeculi Augusti utpote contagione temporum insequentium nondum depravatae cf. Corssenus I p. 325. 689. His scilicet docemur per diphthongum verba scribi *maeror maestus paenitet taeter scaena saepire saeptum saeculum* et quae sunt similia, contra vocali e designari *cena cenare obscenus femina fecundus fenus* etc. cf. Corssenus l. n. et symb. crit. p. 188 sq. 191. Fleckeisenus quinquag. art. p. 27. Ritschelius Proll. Trin. p. XCVII. Stabilita igitur horum vocabulorum scriptione revertimur ad Catullum, ut quam in eo genere consuetudinem secutus sit videamus. Qua in re mihi quidem ex iis quae ad condicionem libri Veronensis nunc deperditi inlustrandam de origine fluctuationis scripturae inter *o* et *e*, et *ae* in codicibus Catulli sincerioribus perspicuae accuratissime disputavit Schwabius praef. ed. p. XVII sqq. videtur extra omnem dubitationem positum esse poetam singulas illas voces de quibus dubitari liceat, per diphthongum *ae* protulisse, quod in iisdem Lucretium quoque fecisse putat Lachmannus comm. p. 25. Eo magis sane offendit quod vir perillustris in libro Catulliano cum semper *maestus saeclum paenitet* scriberet, plane aliter voluit septa LXII, 39 et teter LX, 3. LXXVI, 25 imprimere. Neque vero desunt quae in contrariam partem valeant, ut glaeba LXIIII, 40 ab editoribus non nullis iniuria approbatum, rectius *glebam* Achilles Statius et Rossbachius. — Porro utrum *pedicare* an *paedicare* scribendum esset quod XVI, 1. 14 et XXI, 4 legi-

tur, diu multumque haesitabant homines docti alius aliam etymologiae rationem molitus. Subtilissime omnium de hac re disseruit Corssenus I p. 648 nota, qui lectionibus codicum Catulli et Martialis inter se collatis ac certa etymologia inventa semper *paedor paedidus paedicare* scribendum esse docet.

Diphthongus denique *au* quoniam plenissime sonat, vel ideo in lingua Latina diutissime servata est. Quamquam ne haec quidem mutationes omnino effugit, sed mature iam in aliquot vocabulis debilitata in *o* apparet, ut testantur *coda origa polulum* cf. Varro R. R. II, 7. 8. Hanc corruptionem e pronuntiatione vulgi potissimum rustici ortam (cf. Festus p. 182) semel Catullus admisit in voce *oricilla* XXV, 2 ubi praeeunte Scaligero interpretes vulgo dant *auricilla,* dubito num iure: nam libri satis clare praebent *moricilla* quod praeter initialem *m* litteram omnes veritatis numeros in se continet. Standum esse in tradita lectione probe dispexerunt Schwabius et Corssenus loco infra afferendo. Ceterum ex eiusmodi nominibus in usum classicum transierunt *suffocare codex copa codicillus explodere* alia quae commemorat Corssenus I p. 655. 657. 660. —

Eadem deinde diphthongus etiam in *u* attenuata est, cuius rei exempla passim extant apud Plautum nec desunt prorsus Lucretio cf. Ritschl. Proll. Trin. p. XCVI et Lachm. comm. p. 85. Apud Catullum tale quid non reperitur, unde hanc quaestionem omittimus tantum modo id notantes qui Catulli carmina nuper recensuerunt eos interdum nimis cavisse ne poetae formas adscriberent minus urbanas et elegantes codicum vel ubi inter se consentiunt auctoritati temere diffidentes. Namque Catullum omnino non sprevisse sermonis plebei vel familiaris licentias vel ex eo apparet, quod haud pauca apud eum verba leguntur quae indidem constat petita esse. Sunt autem haec: suppernata XVII, 19. salaputium LIII, 5. expatrare XXVIIII, 16 (cf. gloss. Labb. p. 69), trusare LVI, 6. ile LXIII, 5 (cf. gloss. Labb. p. 87. Hauptii Quaest. Cat. p. 69). ploxemum LXXXXVII. 6 (cf. Quintil. I, 5. 8). carpatinae LXXXXVIII, 4. Qua de re vide etiam Schwabii qu. Cat. I, p. 330.

c. De syncope vocalium.

Inter ea quae rustici sermonis speciem prae se ferunt, referenda est etiam litterarum vocalium in mediis vocibus eiectio

quam syncopen appellare consuevimus. Atque hoc mutilationis genus cuius exempla ne apud elegantissimos quidem poetas aetatis Augustae desiderantur, nihilo secius e vulgari loquendi usu originem traxisse nemo ignorat. In omnibus enim quotquot extant linguis animadvertere licet vulgi studium commodissimae facillimaeque quoad eius fieri potest pronuntiationis. Itaque haec causa fuit cur multas et pleniores sermonis urbani voces formasque vulgus Romanum varia ratione corrumperet sive eo quod singulas litteras vel totas syllabas in pronuntiando supprimebat sive eo quod terminationes aut graviter depravabat aut prorsus abiiciebat. Homines vero liberaliter eruditi licet iis non nunquam fere idem quod vulgo accidat in eloquendo, summo tamen opere nituntur, ut cum scribunt has licentias fugiant exceptis eis quas publici iuris fecit communis vitae consuetudo. Sic apud Catullum quoque multa huius eiectionis exempla deprehendimus, longe tamen pauciora quam apud Lucretium, formarum vulgarium amantissimum.

Ad rem autem ut accedamus, in vulgus constat quam frequenter syncope vocalis *u* locum habeat in vocibus suffixo *culum* terminatis. Hanc igitur Catullus sibi concessit in talibus qualia sunt: saeclum I, 10. XIIII, 23. XXXXIII, 8. LXIIII, 22. LXVIII^{b}, 43. LXXVIII, 9. semel saecula LXXXXV, 6, porro vincla LXIIII, 367. sed ubique periculum XXIII, 11. LXI, 87 et poculum LXIIII, 45. denique oraclum VII, 5. LXIIII, 326. Egit de hac re Corssenus II p. 523 sq.

Verbo attingam vocalem *a* constanter elidi in nomine *cupressus* LXIIII. 291, quod a Graeco *κυπάρισσος* Latini sumserunt cf. Corssen. II p. 520. Satis saepe vocalis *i* eiicitur in part. perf. pass. verbi *ponere* eiusque quae sunt composita. Hic usus dactylicorum omnium maxime placebat Lucretio post eumque non parum etiam Vergilio metri causa, non admodum frequens est apud alios, displicebat omnino Catullo Tibullo Propertio teste Schneidero Gr. Lat. I p. 171.

Latissime vero patet syncope vocalium *i* et *e* in formis praeteriti activi et temporum quae inde derivantur. Quo simul fit, ut una vel binae *s* litterae excidant, quia linguae Latinae natura atque indoles nimiam consonarum cumulationem reformidat. Atque hac licentia rustici sermonis non solum poetae inprimis veteres scaenici usi sunt satis frequenter, sed

ne pedestres quidem scriptores dubitarunt breviores illas verborum formas praesertim futuri exacti interdum adhibere cf. Reisig. schol. Lat. § 144 d cum nota Haasii. Quae cum ita sint, vix quisquam mirabitur quod etiam apud Catullum multa eiusmodi vocabula mutilata inveniuntur et quod sane mirum est multo compluria quam in carmine Lucretiano. En habes exempla: sex indicativi perfecti quae sunt misti XIIII, 14. luxti LXVI, 21. subrepsti LXXVII, 3. duxti LXXXXI, 9 cf. Propert. I, 3, 27. abstersti LXXXXVIIII, 8. promisti CX, 3 cf. Plaut. Curc. 705. 709. Terent. Adel. 940. deinde unum [1]) coniunctivi pf. locis quatuor obvium ausit LXI, 65. 70. 75. LXVI, 28 itemque unum infinitivi perf. promisse CX, 5 et indicativi futuri exacti recepso ex receper(s)o XXXXIIII, 19. De universa re praeclare disseruit Corssenus II p. 553 sqq.

d. De contractione, synizesi et synaeresi

ad quas in grammaticis his rebus nunc transimus, haec habemus quae in medium proferamus:

1. Contractionis de qua primum nobis disserendum est, frequentissimus usus cernitur in perfectis act. suffixo *vi* terminatis. Consistit autem in eo, ut vocales copulativae quibus singulae inter se distinguuntur coniugationes, littera *v* extrusa cum vocalibus *e* et *i* per quas termini adiunguntur, in unam syllabam coalescant (cf. Cic. or. 47 § 157). Atque correptas hoc modo verborum formas quae maxime poetis cuiusvis generis et aetatis sunt usitatae de causa satis dilucida, ex parte vel prosae scriptores sibi concesserunt, quin paucae extant quas nisi contractas usus communis non probavit cf. Reisig. l. n. § 143 b cum nota Haasii. Catulli quidem ut apponamus talium formarum exempla, quae trita sunt omittimus, cum parum ad nos pertineant, sed memoratu digna haec videntur ex ordine coniugationum disposita: adiurarit LXVI, 41. iuerint ibid. 18. requierant LXXIIII, 7. requiesset LXIIII, 176. tristi LXVI, 30. siris ibid. 91. cupisti XV, 3. nequisse IIII, 4.

1) Nescio an huc etiam pertineat ‚tepefaxit‘ quod Lachmannus LXVIII[a], 29 loco ineptae traditionis ‚tepefacit‘ coniectura assecutus est et simplicissima et aptissima, cui multi faverunt ut Hauptius in editione priore Heysius Rossbachius.

isset LXVIII^b, 86. LXXXIIII, 11. audiero CI, 9 (cf. Schwabii qu. Cat. I p. 277) et ubi ex vulgari more fit, in nosti norat nosse cognossem cet. quae saepe apud Catullum leguntur cf. Corssenus I p. 319. L. Muellerus de re metr. p. 399.

Attinet hic etiam afferre in mediis vocabulis littera *i* ante consonam eiecta semivocalem *v* saepe dissolvi et cum praecedente vocali in diphthongum coire, quae non nunquam vel in simplicem vocalem mutatur monente Corsseno I p. 314. Ea ratione ex *navita* ortum est *nauta* quod utrumque verbum adhibent pro versus rationibus poetae velut Catullus dixit nautis LXVIII^b, 63 et navita LXIV, 174. Ad haec igitur exempla non dubium videtur quin duabus syllabis idem extulerit *Ravidum* XXXX, 1: ‚quaenam te mala mens, miselle Ravide' quod quidem *Raude* sonuisse non superiore tantum exemplo cui adnumeranda sunt naufragus Cat. LXVIII^a, 3 et nauculator Martial. III, 20, 20, verum etiam luculento testimonio Ciceronis de divin. II, 40 firmatur tradentis quidem separata litteris verba illa *cave ne eas* eodem quo *cauneas* modo pronuntiari (cf. etiam L. Muellerus p. 271 et Corssenus l. n.) Altero deinde genere quo in vocalem debilitata diphthongus apparet, continentur formae quales sunt *prudens* ex *providus*, *Juno* ex *Jovino* etc. profectae et in lingua florenti legitimam vim consecutae.

Non minus late patet alterum contractionis genus quod in mediis vocibus locum habet extrita *h* littera, unde fit ut vocales vicinae sive pares sunt sive impares, in unam conglutinentur. Et poeta quidem Veronensis pares tantum ita concurrere fecit vocales in his verbi *prendere* formis: deprensa XXV, 13. prendi LV, 7. deprendi LVI, 5. comprendis LXII, 35. indeprensus in versu quodam quem Servius ad Verg. Aen. V, 591 e Catullo affert sic conceptum: ‚falleret indeprensus et irremeabilis error'. Similem scribendi rationem secutus est in voce *vemens* L, 21, etsi boni codices omnes diductis eam syllabis exhibent: Lachmannus enim ad Lucr. p. 133 illud vocabulum docet non nisi correptum in versibus reperiri praeter hendecasyllabum M. Aurelii Caesaris: ‚nos istic vehementer aestuamus', cui L. Muellerus de re metr. p. 253 unum adiecit Prudentii peristeph. 6, 20: ‚praeceptor vehemens eundo firmat'. Itaque mirum sane est quod vir ille doctus loco Catulliano

distractis syllabis *vehemens* impressit nimium libris confisus, idem qui in Lucretio vel contra codices et Gellii II, 3, 3 testimonium semper syllabas contraxit. Rectius Achilles Statius Hauptius Schwabius *vemens* scripserunt, quae forma etiam Horatio Ep. II, 2, 120 restituenda est. — Accedit particula affirmativa *me hercule*, quae cum elisionem admittat, tamen quodam modo huc revocari potest. Extat in versu altero carminis XXXVIII antiquitus sic tradito: ‚malest me hercule et laboriose', quo loco cum plures pervincendae sint difficultates, diutius commorari opus est. Primum enim ut iam monuimus, si particulam illam in duas partes secernis, synaloephe efficitur, rursus si in unam dictionem conectis, elisae *h* litterae vocaliumque conliquentium locus est. Et haec quidem ratio mihi probabilior videtur propterea quod brevior *mercule* scriptura haud raro legitur tantum non apud scaenicos antiquos teste Lachmanno ad Lucr. p. 152. Ita Phaedrus trisyllabum fecisse reperitur praeter fab. Perott. VIIII (XII), 3 ex ed. Sibel. ‚sonuere tactae. Bella res mehercules' cf. L. Muellerus p. 254 qui in versu Catulliano ad molestum vel potius vitiosum hiatum loco removendum *mehercules* scribendum putavit. Haec enim altera quaestio est satis implicata, in quam multum operae contulerunt viri critici. Quorum tamen emendationes et explicationes videor mihi aptius recensere infra, ubi de admisso evitatoque hiatu verba faciam. — Jam restant exempla superioribus consimilia fere haec: semihiante LXI, 220. nil pro nihil VI, 12. XVII, 21. XXX, 2. XXXXII, 21. LXI, 61. LXIIII, 146. LXVIII^{b}, 77. LXXXXIII, 1. alibi semper *nihil*, porro nilo bis LXXXXVII, 3 ubi alterum *nilostque* ex Germanensis Colbertini Santeniani lectione *nobisque* optime Schwabius emendavit. Sed trisyllabum *nihilo* aperte Catullus dixit in hendecasyllabo XXVIII, 12 et in glyconeo LXI, 197 cf. Lachmannus ad Lucr. p. 28 qui praeter alios Lucretium diversas huius vocis formas ubique contraxisse affirmat. Nec repudiavit monosyllabum is qui Cirim scripsit et frequenter Catullum imitando expressit locis his: 261. 234. 338. 404. denique *mi* vel *mei* pro *mihi* poeta ob metricam necessitatem adeo frequentat, ut exemplis id probare minime necesse sit.

Venimus nunc ad id genus contractionis quo duae vocales alia littera non intercedente concurrunt. Si eundem sonum habent vel

non admodum diversum, saepe certe numero fit, ut cum voce pronuntiandae sint illae quidem quasi una fuerit vocalis scripta, etiam in litteris conglutinatio earum simplici vocali quae vim scilicet habet productae significetur, cuius rei testis est Vel. Longus p. 2227. Priori generi ubi vocales pares coartantur, pauca extant quae adnumeranda sunt Catulli exempla velut deessem LXIIII, 151 cf. deero Horat. Sat. I, 9, 56. II, 2, 98. dees Syr. sent. 548. deest 486 et Martial. I, 92, 4. porro contractio omnibus poetis aequaliter est usitata in *dii*, *diis* itaque saepissime dixit Catullus praeter IIII, 22 ubi *diis* bisyllabum extat[1]) (cf. Ritschl. Proll. Trin. p. XCVIII). Multo minorem in hoc contractionis genere cautionem adhibuit Lucretius quippe qui haud raro vocales etiam diversas conliquefaceret, qua de re egit Lachm. comm. p. 134. 217. Collegit exempla Kuehn diss. p. 32.

2. Jam ad synizesin accedamus, quam eo constat effici quod binae vocales contiguae non in diphthongum quidem coalescunt, sed ita unius syllabae potestatem adipiscuntur, ut prior si per se longa est vel diphthongus, corripiatur et ante sequentem vocalem quasi absorbeatur. Nihilo secius utraque in scribendo remanet et in dicendo tantum alterius pondere paulum imminuto duae vocales coeunt cf. Corssenus II p. 748. Ita diphthongum *ae* ante *o* conteri videmus in praeoptarit LXIIII, 120: ‚omnibus his Thesei dulcem praeoptarit amorem‘ cf. praeoptavisti Plaut. Trin. 648. praeoptares Terent. Hec. 532 eodem quo apud Catullum modo prolata (vide etiam L. Muellerum de re metr. p. 273 et Corssenum II p. 750. 757).

Deinde nomina potissimum Graeca in-*eus* desinentia synizesin patiuntur in casibus obliquis velut Thesei LXIIII, 120. Idomeneos ibid. 178. Erechthei 229. Peleo 336 cf. L. Muellerus p. 267. 275 sq. Nec infrequentior est synizesis usus in formis pronominum *is* et *idem* excepto tamen plerumque dandi casu, ut quem poetae quantum fieri potuit devitare studuerint. Quare Catullus quoque uno quod sciam loco

---

1) Qua in re non est verendum, ne quis fidem faciat Nobbio de metris Catulli II p. 19 imperite docenti huc etiam spectare ablativum *aliis* duabus syllabis elatum in LXVI, 28. Immo poetam hoc loco priscae pronominis formae *alis* indulsisse iam supra exposuimus.

certe *ei* posuit LXXXII, 3 ita: ‚eripere ei noli multo quod carius illi‘ cf. Titin. com. 31 Ribb. et inc. inc. trag. 85. Exempla aliorum congessit Neue II p. 137. Alterum scilicet *ei* quod in XXXVIII, 2 Lachmannus (cf. ad Lucr. p. 152) hiatus tollendi gratia ante particulam *et* inserendum putavit, etsi eius modi vocula facillime excidere potuit propter miram formarum *ei* atque *et* similitudinem, dubito tamen ob causas metricas num Catullo per coniecturam sit imputandum. Quamquam enim illud *ei* producta paenultima saepius dixerunt Plautus Terentius nec non Lucretius et is quidem in ultimo constanter hexametri pede, tamen ubi iambice collocatum sit perrari loci extiterunt cf. L. Muellerus p. 272.

Trita denique est synizesis in his vocabulis: dein V, 8. 9. 10. deinde V, 7. 9. CIII, 2. proin proinde et quod vel eiecta littera *e* scriptum est *sorsum* pro *seorsum* Priap. 86, 17 (olim Catull. XX, 17) cf. Ritschl. Proll. Trin. p. CLX. L. Muellerus p. 253. 265.

Quaestione igitur de synizesi finita non alienum videtur de diaeresi nunc disceptare illi quidem ut notum est plane contraria. Atque hanc cum inter poetas antiquiores inprimis Lucretius in deliciis haberet quod docet exemplorum copia a Kuehnio p. 34 collecta, Catullus non admisit nisi in formis verborum *solvere* et *volvere* eorumque compositis. Exempla enim haec sunt: soluit I[b], 6. soluunt LXI, 53. dissoluo LXVI, 38. evoluam ibid. 74. pervoluent LXXXXV, 6. Metri causa diaeresin a poetis usurpatam esse intelleges, si locos ipsos inspexeris cf. Corssenus II p. 752. L. Mueller p. 262.

3. Ad synizesin proxime accedit synaeresis qua vocales *i* et *u* propria mensura exutae vim semivocalium *j* et *v* sibi asciscunt. In quo fit, ut vocalis antecedens si brevis est, per sequentem consonam et vocales illas in hunc modum pinguefactas positione producatur. Sic pinguescit *i* littera in duabus apud Catullum vocibus quas adscribo: *Camērium* LV, 10 in hendecasyllabo Phalaecio: ‚Camerium mihi, pessimae puellae‘, sed *e* corripiunt camĕra et Crustumĕrium memorata a Corsseno II p. 754. porro *conŭbium* LXII, 57 in versu hexametro cf. Lucret. III, 776. V. 1013. item consīlium Horat. Carm. III, 4, 41 et princīpium III, 6, 6. Frequentissimum est hoc synaereseos genus in satiris Lucilii, unde colligere licet pronun-

tiationem illam Gracchorum temporibus in sermone familiari usitatam fuisse cf. Corssenus l. n. Tertium quod in editionibus Catulli prioribus vulgo legitur exemplum codicibus omnibus firmatum Pharsaliam LXIIII, 37 primus removit Pontanus emendando sic rectissime: ‚*Pharsalum* coeunt, Pharsalia tecta frequentant'. Etenim in Graecis nominibus eadem quae in Latinis synaeresis non conceditur (cf. Lachm. ad Lucr. p. 193. L. Muellerus p. 261), deinde ut verbis utar Hauptii observ. crit. p. 68, mirum esset si poeta hic ubi et debebat et commodissime poterat urbis nomine uti, regionis nomine et orationem depravasset et versum inscienter conformasset [1]). — Alterius generis quo vocalis *u* vim consonantis *v* adipiscitur, nullum e Catulli poematis afferendum nobis exemplum est quamquam multis aliis veluti Lucretio Vergilio Statio Silio Persio placuisse constat formas quales sunt tenvis tenvior extenvantur genva cetera similia.

Postremo hic memorari possunt dativi *huic cui* et *cuique* quod XXII, 20 prostat, ab omnibus poetis usque ad finem octavi urbis saeculi constanter pro monosyllabis adhibiti. Quod etsi verum est, tamen quanam ratione mensura harum vocularum explicanda sit, virorum doctorum diversae sunt sententiae: Corssenus quidem II p. 761 in his synizesin *u* vocalis statuit, Lucianus autem Muellerus de re metr. p. 269 coire in diphthongum breves vocales existimat. Qua in re cum considero formas illas *quattor* apud Enn. ann. 96 et *strena* apud Nov. 17, 1 (cf. Ribb. frgm. com. p. 205) facile equidem adducor ut in sententiam Corsseni discedam.

Quibus expositis in universum est monendum formas sermonis vulgaris vel rustici priorum temporum poetis satis usitatas Catullum fere ultimum fuisse qui passim sibi concederet: nam perfectae poesis auctores Augusto aequales ab illis licentiis quoad non ad rem metricam pertinent, omnino se abstinuerunt, quippe qui multo accuratius quam Catullus fecit recentiorem loquendi normam sequerentur.

---

1) Alia id genus exempla falso olim scripta, unde Nobbio de metris Catulli p. 19 multiplices errores orti sunt, enumeravit Schwabius Quaest. Cat. I p. 229 de synizesis usu Catulliano paullo aliter iudicans.

CAP. II.

De prosodia Catulli.

Ad hanc artis Catullianae partem si quis forte miratur me post ea quae iam Nobbius de metris Catulli p. 16—24 de illa quidem in medium protulit, rursus accedere causa huius rei inde repetenda est quod vir ille aliquando deceptus totam hanc quaestionem non modo sine via quadam et ratione attigit, sed etiam permulta non ea qua par est cura et diligentia tractavit haud ita paucis rebus quae ad usum poetae vel in minutiis adumbrandum pertinent prorsus omissis. Catullus enim quamquam in verborum mensuris plerumque normam sequitur poesis Latinae semel constitutam, tamen non desunt in quibus ab elegantiore posteriorum ratione ac consuetudine differat propiusque ad antiquiores poetas accedat. Itaque omnia ista sub uno conspectu posita non magis speramus per se fore utilia quam persuasum habemus quisquis manum criticam admoturus sit Catullo, ei minime esse negligenda.

Jam igitur in hac re ut ordiamur disputare

1. De longarum vocalium correptione

primum in quaestionem vocandae sunt

α. vocales in exitu quidem vocabulorum positae, tamen ab ipsa terminatione exclusae. Generatim vero notandum est in lingua Latina antiquissima multo plures fuisse vocales productas, id quod veterum non tam monumentorum quam poetarum scripturae etiam nunc clare testantur. At per temporis tamen decursum illae quidem magis magisque coeptae sunt breviari eadem ratione qua in aliis quoque rebus lingua processit asperitates formarum removendi inprimis studiosa, usque dum Ciceronis aetate ad summam venustatem et elegantiam evecta est. Neque ad corripiendas vocales natura longas parum valuisse consuetudinem poetarum metri rationibus ut cui interdum nimis inepta esset syllabarum longarum coacervatio, persaepe indulgentium manifestum est constatque inter omnes.

Jam quod exposuimus maxime cernitur in genetivis sing. pronominum adiectivorum in-*ius* cadentibus, quorum paenultimam cum origine sit producta, cum ceteris Catullus plerumque

pro correpta adhibuit. Exempla enim haec sunt: *alterius* bis in eodem versu carminis LXXVIII, 2 nec saepius in dactylico numero productionem illius vocabuli quippe ne creticus fiat, omnino respuente. Porro brevi priore *illius* ubique praeter LXVII, 23 nec aliter *ullius ipsius totius unius* et in quo vulgo fit *utriusque* LXVIII[a], 39. De aliorum poetarum usu cf. Nevii gramm. lat. II. p. 182 sq. 186 et Bouterwekii Lucr. Quaest. p. 19.

Eodem referas licet vocabula e Graeco sermone desumpta quae cum ibi producantur, apud Latinos aliquando etiam correpta leguntur. Sic Catullus *e* brevi dixit vocem *plateae* in hendecasyllabo XV, 7: ,istos qui in platea modo huc modo illuc' post eumque item Horat. Ep. II, 2. 71: ,purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet'. Ad primitivam vero mensuram Graeci nominis per diphthongum *ει* scripti redierunt ex christianis poetis Ausonius Prudentius Paulinus Nolanus monente Orellio ad Hor. l. n. Alterum quod cum superiore conferri potest exemplum est *Hyperborei* CXV, 6: ,usque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum'. Quamquam hoc vocabulum quod Graeci et per *ει* et per *ε* scribunt, poetae Latini diphthongo Graeca vulgo extenuata videntur protulisse cf. Iuven. VI, 470. Sed in *chorea* quod item Graecis acceptum referunt, semper priorem syllabam producunt ut docent Cat. LXIIII, 287 et Horat. Carm. IIII, 6, 15 (cf. Lachm. comm. Lucr. p. 159).

Ceterum *e* litteram qua tertia persona plur. ind. pf. act. finitur quamque poetae dactylici in primis Lucretius (vide Kuehnii qu. Lucr. p. 36) haud raro corripiunt ad devitandum creticum versui heroico ineptum, Catullus hac lege sese obstrinxit ut constanter productam servaret.

Iam accedit

β. longarum vocalium in fine nominum correptio. Quo in genere primum quidem animadvertendum est litteram *a* in prima declinatione finalem pondere suo paullatim adeo privatam esse in poetarum sermone, ut pauca quidem eaque in Graecis potissimum vocabulis inveniantur veteris consuetudinis exempla. Hoc modo Catullus velut in aliis Lucilius Lucretius Horatius correpta ultima dixit *Pasithea* in galliambo LXIII, 43: ,trepidante eum recepit dea Pasithea sinu', cum Statius Theb. II, 286 in eodem nomine Graecanicam maluit quantitatem sequi scribendo ita: ,non hoc Pasithea blandarum prima sororum'. Nec

aliam Catullus aut in ceteris nominibus propriis qualia sunt *Lesbia Laudamia* etc. rationem secutus est aut in adiectivis *Amathusia Rhamnusia* similia, quibus adnumeranda sunt appellativa non nulla communi Latinorum usu recepta. Haud exigua vero pars poetarum Augusti aetati supparium in his nominibus utraque mensura utuntur, ita tamen ut longe maxima ex parte correptionem praeferant cf. Lachm. ad Lucr. p. 405 sq. 407 sq. et Corssen. II p. 452 sq. Exemplis rem illustravit Neue I p. 53 sqq. —

Simili usus frequentia vocales *a* et *e* corripiunter in terminatione imperativi 2 sing. praes. act. verborum A- et E-coniugationi applicatorum. Atque huius quidem mensurae usum qui quam late patuerit apud poetas tragicos comicosque antiquos, loci demonstrant Nevii II p. 333 sq. diligentia congesti, non veriti sunt aliquando adoptare etiam posteriores in verbis potissimum iambicis. Catullus igitur semel hoc modo sibi concessit trisyllabi ultimam corripere in *commoda* X, 26: ‚istos commoda: nam volo ad Sarapim‘ in qua forma cur non nulli offenderint viri docti pro sua quisque ingenii facultate aliud tentantes nullam video esse causam. Etenim ut de multis afferam Handii obs. crit. in Cat. p. 54 suspicionem Schwabio probatam: ‚istos: commodum enim‘ etc. nimis a ductibus librorum distat quam ut omnibus numeris certa videatur. —

Alterius *e* correptae plura feruntur exempla quae sunt *mane* X, 27: — ‚mane, me inquii puellae‘ *cave* bis L, 18. 19: ‚nunc audax cave sis, precesque nostras | oramus cave despuas, ocelle‘. LXI, 152: ‚vir petet cave ne neges‘ cf. Serv. ad Aen. IIII, 409 qui supremos tres locos respexisse videtur, licet non recte *cave* imperativum a verbo *cavĕre* tertiae coniugationis deducat: nam exempla huius usus frustra quaeruntur. [1])

Ceterum in his aliisque imperativis quos post scaenicos poetas primus dactylicorum breviavit Catullus, eadem prosodia usitata est proximorum quoque temporum poetis quorum locos passim obvios collegit Neue l. n. Praeterea cf. L. Muellerus p. 340. Ritschl. Proll. Trin. p. CLXV sq. Corssenus II p. 472 sq.

---

1) Num huc etiam referendum sit illud *ave* quod CI, 10 in elisione legitur, dubitari potest: tradit sane Quintil. I, 6, 21 suo tempore *have* correpta ultima pronuntiari, sed discrepat poetarum consuetudo (cf. Lachm. ad Lucr. p. 197).

Item porro littera *e* cernitur in adverbiis disyllabis *bene* et *male* iam antiquitus correpta nec descivit a communi norma Catullus. *Probe* autem quod his vulgo adiungitur, cum brevi ultima dixit Plautus Pers. 2, 1, 16 et 4, 4, 98 de coniectura Ritschelii, nisi iambice positum Catullo ceterisque quod sciam poetis dactylicis nunquam probatur cf. Cat. XXII, 1. Moneo hoc contra Kuehnium qui in Quaest. Lucr. p. 37 istius adverbii correptionem omnibus aequaliter familiarem fuisse videtur existimare. Atque in hoc genere multum poeta differt a Lucretio qui vel in adverbiis trisyllabis extremam syllabam pluribus locis corripuisse invenitur cf. Kuehn. l. c. Nam in voce *temere* quam aperte breviant veteres poetae, utrum dactylici eandem mensuram secuti sint certo definiri non potest, si quidem Catullus cum reliquis semper eliso utitur hoc adverbio.

Sequitur ut de *i* terminatione quae memoratione digna sunt breviter exponamus. Ac primum quidem usu frequentata illa *nisi quasi mihi tibi sibi ibi ubi* olim producta ultima valuisse manifesta veteris per *ei* scripturae testimonia in monumentis publicis declarant cf. Corssen. I p. 778. 782 sq. Lachm. ad Lucr. p. 91. Ritschl. Proll. Trin. p. CLXIX. Ex his duas voculas priores iam ante Catullum poetae ubique dixerunt finali correpta eamque rationem omnes deinceps classici versuum artifices retinuerunt (cf. Corssenus II p. 477). Ceteras vero quas modo protulimus semper cum alii tum Catullus ambigua posuit quantitate, sed ita ut quotiens syllabam exeuntem produceret totiens ictum versus adiiceret. Quamquam intercedit discriminis aliquantum inter *ubīque* et *ubĭque* significatione pariter ac prosodia inter se diversa: illius enim vocabuli paenultima cum semper longa sit, in hoc utpote ex *ubi* et particula enclitica *que* composito non nisi correpta *i* vocalis apparet, velut semel hoc modo Catullus scripsit in galliambo LXIII, 46: ‚liquidaque mente vidit sine queis ubique foret'. — In Latinis igitur nominibus qui nihil contra aliorum consuetudinem dicere ausus est, idem in Graecis vocabulis tertiae declinationi tributis singularem quandam rationem sequi voluit, cum dativos eorum raro admodum in poesi Latina admissos binis ubi assumpsit locis, Graecanice non solum flecteret sed etiam corriperet. Exempla enim consideres velim haec: *Minoidi* LXIIII, 247: ‚morte ferox Theseus qualem Minoidi luctum' et *Tethyi* LXVI, 70: ‚lux

autem canae Tethyi restituit'. Sed in priore versu qui, ne incuriae me quis arguat, curiosius tractandus est, libris sinceris *Minoida* traditur, quod si totius orationis structuram respicis, ex lege grammatica stare nequit. Itidem virorum quorundam conatus loci emendandi sive ipsam vocem prave corrigentium sive sententiam relativam plane aliter formantium, quem ad modum placuit Dorvillio ad Chariton. p. 263 post eumque Bergkio ita scribere iubentibus ,quali Minoida luctu', ad irritum quod ego perspiciam ceciderunt. Omnes scilicet laborant eo quod vel consuetudo poetae nimis negligitur vel concinnitas sermonis quam ne laedas membrum alterum vehementer flagitat, prorsus evertitur. Itaque nihil sane elegantius est quod poetam decet idemque simplicius quam vulgatam retinere lectionem *Minoidi*, velut altero Catullus loco Graecorum more *Thetyi* dixit litteris satis perspicuis. Accedit quod plane eodem modo ultimam Statius corripuit in Iasoni Theb. III, 521 et Palladi Achill. I, 285. Ceterum de hac re digna sunt quae legantur verba L. Muelleri p. 392 et M. Hauptii act. menstr. acad. Berolin. 1861 p. 1077 et ind. lect. Berlin. aestiv. 1855 p. 12. Nevii I p. 309. Ex illis vero quae a Graecis poeta ascivit, certum non plane deest nomen in quo proprietatem linguae Latinae maluit sequi quale est *Thetidi* LXIIII, 21 et 336; alterum enim quod ab homine quodam docto apud Valckenarium inventum olim vulgo legebatur Lycaonidi LXVI, 66 de causis quas supra indicavimus improbabile est.

Iam hinc ad nominum verborumque formas in -*o* desinentes proximus fit transitus. Quarum cum constet priscam et genuinam quantitatem hanc esse ut producatur syllaba finalis, paullatim non tam eloquendo quam scribendo vocalis origine sua longa attenuata est maxime in vocabulis iambi pedis mensura comprehensis, quae omnia ut ait Ritschelius Proll. Trin. p. CLXVI vitae consuetudo passa est brevi extrema pronuntiari. Atqui vel in iambicarum vocum correptione qua saepissime utebantur veteres poetae, cauti admodum fuerunt dactylicorum fere principes Lucilius Lucretius nec non Catullus, ita tamen ut hic paullo plus in ea re sibi permitteret. Nihilo secius ex substantivorum numero solam *hominis* vocem ultima correpta extulit duobus locis XXIIII, 7 et CXV, 8. Produxit eandem sub ictu XVII, 12. LXXXI, 2. LXXXXIII, 2. CXII, 1 et in elisione

ante voculam est XXII, 2. LXVII, 47. LXXVIII, 3. 5. Quamquam his locis dubitari potest num Catullus vocales contiguas inter se copulaverit an *est* sui parte truncaverit, qua de re infra agemus explicatius. — Similiter fluctuat in mensura adverbii *modo* cum eius compositis, ita quidem ut non saepius correptioni quam productioni locum tribuerit. Sic pyrrhichiace scripta extant modo I, 2. X, 28. XXI, 2, XXIIII, 2. LVI, 5. LXXIII, 6. postmodo XXX, 12. iambice idem modo III, 9. XV, 7. XXII, 12. L, 5. LIII, 1. LXXXXVIIII, 12. quomodo X, 7. Lucretius hanc particulam quod memorabile est constanter iambice protulit (cf. Kuehn. p. 37). Ceterorum usum exemplis adumbravit Neue II p. 518. — His accedunt verborum formae disyllabae brevi paenultima quas vel ideo praeter scaenicos poetas Catullo licuit pro pyrrhichiis usurpare. Ita semel dixit *dabo* XIII, 11, sed paullo frequentius *volo* VI, 16. XVII, 8 et 23. XXXV, 5. LXI, 216. Ceterum paucula haec et similia quae passim apud alios eius aetatis dactylicos inveniuntur, cum satis argumento sint cautissime vetustiores illos poetas versatos esse in breviandis nominibus iambicis, proximis inde ab Augusto temporibus non solum haec iisque cognata sed etiam hyperdisyllaba corripiendi late succrevit licentia teste L. Muellero de re metr. p. 337 sq. Verum ex his unum afferri potest verbum *nescio* compositum iam antiquis poetis comprobatum mensura dactylica cf. Ritschl. Proll. Trin. p. CLXVII. Nec recessit a vulgari consuetudine Catullus ut indicant loci II, 6. VI, 4. LIII, 1. LXXX, 5. LXXXV, 2.[1])

Quibus expeditis restat quaerendum

2. De brevium syllabarum productione.

Quo in genere licebit nobis maiore nunc brevitate uti, cum pauciora extent quae Catullus tantum non singulari quadam ratione sibi concessit. Ante omnia vero huc pertinent verborum formae consonantibus finitae quas prisco tempore constat magna ex parte pro longis usurpatas esse. Atque easdem apud classicos poetas plerumque in correptionis constantiam abiisse praecipue nos docet Lucretianus usus, in cuius carmine nihil eius modi libertatis certe reperitur: nam unum quod consuetudini eius adversari videtur exemplum *fulget* II, 27 pluribus de causis

1) Vide etiam Hauptii observ. crit. p. 18.

Lachmannus quem Bernaysius secutus est, in *fulgenti* optime mutavit, ut versus ille sic procederet: ‚nec domus argento fulgenti auroque renidet'. Mentionem autem feci huius loci propterea quod plane similem mihi videor deprehendisse Catullianum quo veritas coniecturae Lachmannianae egregie firmatur; scriptum est enim LXIIII, 44: ‚regia, fulgenti splendent auro atque argento'. Hos igitur locos iuxta se positos qui recte consideraverit, vix dubitabit quin Catullus illud Lucretii ante oculos habuerit. Sed ad ea unde digressi sumus gradum ut referamus, cum apud poetas priores late patuerit brevium syllabarum productio, eadem plerique insequentium temporum, nusquam alibi utuntur nisi in versuum caesuris legitimis vel ante vocabula Graeca, quam quidem normam Catullus ternis toto opere exemplis secutus est qualia sunt: *dicetur* hymenaeus LXII, 4. *despexit* hymenaeos LXIIII, 20. *auctus* hymenaeo LXVI, 11. Ubique igitur, uti observare licet, neque extra hexametros continuos singulas verborum terminationes deinceps litteris *r t s* conclusas ea condicione poeta produxit, ut unum idemque nomen succederet peregrinum. Ceterorum in hac prosodia licentiam perscrutati sunt Lachm. ad Lucr. p. 76 sq. et L. Mueller. p. 331 sq.

Neque silentio praetermittendum est vocales ante consonam *r* positas cum vulgo corripiantur, semel Catullo placuisse producere in nomine *Celtiber* XXXVIIII, 17: ‚nunc Celtiber es: Celtiberia in terra' in trimetro videlicet scazonte, cum Martial. X, 20, 1 idem adhibuit dactylice ita quidem: ‚ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber oras' (cf. L. Muellerus p. 365).

Inde per saturam quaedam enotabimus cognitu haud inutilia. Et primum in *nihil nihilum nihilo* ubicunque syllabae pronuntiando non coguntur, saepe quidem numero fit ut secundam natura longam (cf. Corssenus II p. 508) poetae corripiant. Hic usus inde a Catullo primum increbuit; nam Lucretio in illis vocibus non nisi contractam formam probari pro certo habet Lachmannus comm. Lucr. p. 27 sq. Catullus igitur cum semper alteram syllabam corripuit ante vocalem velut ostendunt XVII, 21. LI, 7. LXVIIIb, 131. LXXXVIII, 7. LXXXXVIIII, 5 et trisyllabum nihilo XXVIII, 12. LXI, 197, idem neglexit Ovidius Trist. V. 14, 41 et Epist. Pont. III, 1, 113. Metam. VII, 644 cf. L. Mueller p. 326. Corssenus l. n. — Porro de

nomine Mamurrae XXVIIII, 3 ac LVII, 2 non recte iudicasse Lachmannum ad Lucr. p. 36 monentem quidem syllaba eius prima Catullum brevi uti, collatis Horatii Sat. I, 5, 37 et Martialis VIIII, 59, 1. X, 4, 11 exemplis Schwabe qu. Cat. I p. 201 satis demonstravit. — Nec non Catullus singulari quodam modo *tintinare* dixit litera *n* simplici in carminis Sapphici LI, 11 aliis aliam in eodem verbo et scribendi rationem et prosodiam sequentibus: sic tintinnare Naev. com. 114. tintinnire Afran. 393. tintinnabula Plaut. Trin. 1004. Mart. XIIII, 163. Juven. VI. 441. tinire Terent. Maurus 232 ceterisque tinnire usitatum est cf. Lachm. ad Lucr. p. 36. Neue II, p. 332.

Jam vero de verbis quae sunt liquidus LXIII, 46. LXIIII, 2. 162. liquere XXXI, 2. liquefacio LXXXX. 6 dudum recte observavit Bouterwek Lucr. Quaest. p. 21 cum reliquis ea Catullum *i* correpta ubique protulisse; sed idem quod ait Vergilio probari animus eum fefellit cf. Corssenus I p. 503. — In compositis deinde verbi *facio* quorum haud infrequenter *e* literam Lucretius producit metri coactus necessitate formas creticas a versibus excludere (cf. Bouterwek l. n. p. 22), eandem Catullus ne tribrachys pes existeret numero versus heroici pariter ineptus, duobus locis integram servavit LXIIII, 360 tepefaciet et LXXXX, 6 liquefaciens. Brevi contra utitur aliquanto saepius ita: madefient LXIIII, 368. tepefaxit LXVIII a, 29. patefecit LXVIII b, 67. labefactes LXVIIII, 3. cf. Corssenus II p. 514. L. Muellerus p. 364. Lachm. ad Lucr. p. 190 sq. 409 sq. — Praeterea in eo vocabulorum genere quae sunt cum praepositione *pro* composita, notandum est illud praefixum quod vocalem origine sua longam habet, communi poetarum Latinorum usu magis magisque coeptum esse corripi. Atque hoc cadit in talia potissimum composita qualium simplex verbum a litera *f* incohatur velut *profari proficisci profundo profugio profanus* alia quae collegerunt Schneider, gr. lat. I p. 576 sqq. L. Mueller p. 363. Corss. II p. 482. Ex his igitur quae ceteri dactylici omnes una eademque ratione mensurae quam indicavimus protulerunt, unum *profundo* Catullus maluit prima longa adhibere in LXIIII, 202: ‚has postquam maesto profudit pectore voces'. Quod cum ita sit, nulla omnino causa est cur Muretum credas in eiusdem carminis versu 382 pro librorum mss. lectione *praefantes* rectius suspicatum esse *profantes* (cf. Huschkii Ep. crit.

p. 304). — Jam huic praepositioni aptissime adiungitur de particula *re* in compositione verborum disceptatio. Illud scilicet praefixum cuius genuina *rēd* forma nusquam amplius reperitur (cf. Corss. II p. 466) duplici modo correptum apud poetas apparet, prout a vocali vel *h* aut a consona incipit vos sequens. Ante illas quidem literas in *rĕd* breviatur, rursus hac succedente speciem *rĕ* imminutam assumpsit. Ab hoc more solus inter dactylicos discrepat Lucretius qui ad exemplar veterum comicorum aliquotiens sibi permisit brevis syllabae productionem geminata quidem proximi verbi consonante cf. Bouterwek l. c. p. 22 sq. Quod cum a se non impetraret Catullus, primus dactylicorum fuit qui in huius modi compositis pro correpta semper usurpavit *re* particulam eiusque auctoritatem omnes videntur secuti esse cf. LV, 11. LXXVI, 11 nec non *relatus* XXII, 6 quod prima adaucta metro concessit Lucretius II, 1001. — At detrita usu illa *religio* et *reliquiae* magna fluctuant diversitate scripturae non magis in codicibus quam in editionibus. Brevem in his primitus fuisse particulam manifesta declarant in libris veterum poetarum vestigia cf. Corssen. II p. 466 sq. Quodsi nunquam dactylici nisi productam admiserunt, causa huius rei satis perspicua est neque indiget explicationis. In ipso autem scribendi genere non est dubitandum quin ex arbitrio alius aliam consuetudinem secutus sit: certe qui duplicare solebant illam post *re* consonam, etiam literis significare volebant particulam singulis locis produci cf. Servius ad Aen. I, 30. Atque cum his videtur Catullus fecisse semel qui toto libro scripsit *relligio* LXXXX, 4, si maiorem sequimur codicum partem. Ceterum huic vocabulo simile quid apud poetam Veronensem non invenitur neque *reliquiae* neque *reliquus* cuius forma trisyllaba omnino posteriores demum poetae usi sunt, ut Pers. sat. V, 87. Martial. XIIII, 38, 2. cf. Schneider gr. Lat. I p 591. Corssen. II p. 466 sq.

Jam his quae expedivimus proxime subiicienda est

3. De positione

paullo curiosior quam a Nobbio de metris Cat. II p. 18 dudum instituta est disquisitio. Nec alienum videtur orationem in qua supra substitit particula, ad eam nunc reflectere. Atque notum in vulgus est excepta consonarum *gl* copulatione quam christiani demum poetae vi positionis exuerunt, in omnibus verbis cum

particula *re* compositis quotiescunque post illud praefixum muta et liquida concurrunt, ambiguam poetis in usu esse prosodiam, ita tamen ut longe plerique corripiendo faveant. Quibus accedit ubique Catullus velut testantur recrepare LXIII, 29. reflagitare XXXXII, 6. 10. reflectere XXXXV, 10. LXIIII, 112 quod producit Lucret. III, 502. IIII, 442 refringere LXIII, 86 prod. Lucr. IIII, 440. retraho XXX, 9 *e* brevi, producta Lucr. V, 480. Horat. A. P. 468. Jam a compositis transeundum est ad simplicia vocabula quae mutae cum liquida positionem aut observatam aut neglectam produnt omissis plane nominibus, in quibus legitima est positio cf. Schneider gr. Lat. I p. 682. Lachm. ad Lucr. VI, 799. Sunt autem ex illo genere fere haec afferenda: labrum LXXX, 8 semel obvium vocalem producit itemque semper Lucretius praeter IIII, 586. Hos sequitur Vergilius, ceteri fluctuant. — Tenebrae constanter *e* longa III, 13 et LV, 2 nec aliter tenebricosus III, 11. Lucretius totiens fere producit quotiens corripit, variat mensuram Vergilius. — Celebrare semper corr. ut Lucret. V, 1165 et concelebrare II, 345; eademque quantitate utitur febriculosus VI, 4. — Liber, libri cet. quod Hor. Sat. I, 10, 63. Ep. II, 1, 207 breviat, Catullus locis omnibus producit itaque alii plerique, rursus corr. librarius XIIII, 17. — Vibrare XXXVI, 5 primus videtur corripuisse eique accessit Ovid. Met. III, 34, cum ceteri fere semper producunt. — In *probrum* ambiguus est, produc. LXI, 103 corr. LXXXXI, 4. — Rubra nusquam positionem non efficit non magis apud Catullum quam aqud posteriores, neglexit semel Lucr. VI, 402. — Sacrum longe maximam partem producit, corr. VII, 6. XIIII, 12. LXI, 71 itemque semper Lucretius praeter V, 1161 in exitu versus. — Alacres LXIIII, 254 anapaesti mensuram aequat. — Lacrima et lacrimare primam habent ubique brevem vel apud Lucretium, Vergilium Horatium nisi quod hic in Carm. IIII, 1, 34 et Epist. I, 17, 69 producit. Sed in lacrimula LXVI, 16 longa vocalis est. — In Cecrops, Cecropius omnibus fere poetis Latinis communis est primae syllabae productio nec discrepat Catullianus usus LXIIII, 83, 172; corripiunt aperte Lucr. VI, 1137 et Ovid. Met. XV, 427 cf. Lachm. ad Lucr. p. 417. — Ager, agri quod semel extat LXVIIIb, 62 *a* breviat, prod. plerumque Lucretius exceptis II, 1172 et V, 1248. Contra in *agricola* propter metrum dactylicum non potuit quin

syllabam Catullus cum aliis constanter produceret. — Flagrare semper positionem facit et in thesi quidem, id quod raro omnino accidit LXIII, 91. LXVII, 25. LXVIIIb, 73. 139. Lucretii Vergiliique usus mensurae in hoc verbo mire congruit cum Catulliano. — Fragrare variam sequitur rationem, corr. VI, 8. prod. LXXIIIb, 144 idemque quadrat in vocem podagrae LXXI, cuius paenultima longa est v. 2, brevis v. 6. — Integer non variat prosodiam, corr. syllabam XXXIIII, 2. 3. LXI, 36. prod. Vergil. Ecl. IIII, 5. — Nigris iambice posuit XXXXIII, 2. spondiace LXVIIIb, 63. In eodem nomine Lucretius ubique positionem admisit, neglexit Vergil. Aen. VIII, 353 nec non aliquotiens Horatius et Persius (cf. Schneider l. n. I p. 679). — Migrare XXVII, 7 *i* longam habet ut vulgo apud Lucretium praeter II, 996. — Multiplex semper *i* corripit LXIIII, 250. 304. prod. Lucretius. — Duplex longa *u* prostat in thesi LXVIIIb, 51. utraque ratio familiaris est Lucretio nisi quod plerumque breviat ut Horatius Carm. I, 6, 7. — Poples Catullus LXIIII, 370 pro longa usurpat eique accedunt Vergilius Horatius Lucanus, corr. Lucretius IIII, 952. — Proprius CVII, 2 corripit primam veluti constanter apud Lucretium et Horatium. — Supremus *u* producit in thesi LXIIII, 151 ubi semel legitur, itemque extat apud Lucr. VI, 1192. Hor. Ep. II, 1, 12. Stat. Theb. VII, 363. Nec aliam quantitatem sequitur Catullus in cupressus LXIIII, 291 cf. cupressifero Ovid. Heroid. 9. 87. — Patris cet. ubique corripit praeter LXII, 63 in thesi quidem eademque mensura est *patria*, *patrius*, contra patrimonium XXVIIII, 22 longae syllabae obtinet potestatem. Fluctuant Lucretius et Horatius, corripit Vergilius. — Patrona I, 9 et patronus XXXXVIIII, 7 semper tuenter *a* brevem. — Barathrum *a* brevi extulit poeta LXVIIIb, 108, 117. itaque Lucr. VI, 606. — In latrare LX, 2 classicis quidem poetis usitata omnibus est syllaba longa, correpta demum posterioribus. — Similiter genetrix LXIII, 50. arbitror XXXVIIII, 8. arbitrium CVIII, 1 ne positione afficerentur mos quidam videtur obtinuisse cf. Schneider l. n. I p. 678. — In *Etruscus* satis cernitur prosodiae varietas: Catullus prod. XXXVIIII, 11 itaque Juven. V, 164 et Horat. Carm. I, 2, 14. corripit idem Sat. I, 10, 61. — Penetrare XI, 2 *e* brevi est nec dissentit Lucretius nisi IIII, 613 in fine versus — Meretrix CX, 7 secunda utitur correpta

cf. Horat. Ep. I, 2, 25. — In putridus LXIIII, 351 poeta syllabam producit, in similibus Lucretius utramque quantitatem observavit, sed ita ut multo saepius producat quam corripiat.

Jam igitur quaestione illa ad finem perducta paucis explicabimus Catullianam in hoc genere metricae disciplinae consuetudinem. Qui quidem a tragicis comicisque poetis veteribus, qui fere omnes indulgebant syllabis ante mutam cum liquida corripiendis, non multum differt ibique tantum positione utitur ubi nec vulgari usu improbatur nec aliter metri rationibus satisfieri potest. Multo plus eatenus sibi concessit Lucretius, poeta Catullo aequalis, cuius auctoritatem postea cum Horatius tum Vergilius maxime sectatus est.

Postremo de positione inter duas voces modo admissa modo devitata exponendum est. Atque illam licentiam Catullus ceteris longe frequentius primum quidem assumpsit ante mutam cum liquida his locis: *tr:* Propontida trucemve IIII, 9. *fr:* per impotentia freta ibid. 18. *br:* ultima Britannia XXIIII, 4. Quibus accedunt multo compluria positionis exempla binis mutis quibus incipiat proxima dictio effectae. Et longissime quidem in ea re omnium dactylicorum processit Catullus, ut apparebit ex hoc indiculo: *st:* si pote stolidum XVII. 24. gelida stabula LXIII, 53. *sc:* nefaria scripta XXXXIIII. 18. modo scurra XXII, 12 quamquam de hoc loco dubitari potest, si quidem poeta ultimam particulae *modo* etiam producit. Tum *sp:* nulla spes LXIIII, 186 in hexametro itidemque in pentametro LXVII, 32: supposita speculae. Lucretius nihil ex hoc genere habet, nam quae apud eum contraria olim legebantur nunc prorsus emendata sunt. Aliorum locos congessit Conr. Schneideri I p. 705 diligentia. At conservavit tamen Catullus prioris vocabuli syllabam brevem uno totius libri exemplo LXIIII, 357: ‚testis erit magnis virtutibus unda Scamandri' ante nomen scilicet Graecum nisi praecedente vocali correpta metro dactylico plane ineptum.

4. De elisione et hiatu.

a. Priore quidem loco ut in elisionem vel rectius synaloephen inquiramus quam variis legibus poetae moderati sunt, nemo ignorat elisionis quatuor illa genera vocabulorum in duas tresve vocales desinentium quae accurate distinxit quibusque

singulari poetarum usu inlustrato splendidissimam lucem attulit Lachmannus comm. Lucr. p. 158—164. Atque in primo alteroque genere ubi paenultima vocis syllaba longa est vocalis cui aut longa vocalis sive diphthongus aut brevis succedit ante proximae dictionis vocalem, nihil huiusce modi prorsus exhibet nec Catullus nec Lucretius utpote cum in aliis quae ad versuum compositionem spectant tum in hac re cautissimus praeter ceteros dactylicos. Etenim in carmine eius quae adversa videntur esse illi rationi exempla, non tam ipsius poetae verba sunt quam librariorum commenta extrita quidem Lachmanni emendationibus certissimis. In tertio autem genere quo diphthongo longa vocalis vel diphthongus subiicitur cum pauci hiatum praeferunt elisioni, plerique omnino eam respuunt, Catullus quidem non dubitavit syllabas contiguas bis copulare in uno eodemque versu carminis LXVIII b, 99: ‚sed Troia obscena, Troia infelice sepultum'. Ab hoc paullo diversum est quartum genus quod diphthongum habet cum correpta vocali coniunctam. In quo tamen synaloephen poeta nusquam admisit nisi in versibus qui dicuntur intercalares vel ἐπιφωνήματα carminum LXI et LXII. Scripsit enim Hymenaee Hymen LXI, 4. 39. 49. 59. LXII, 5. 10. 19. 25. 31. 38. 48. 66. Hymenaee io LXI, 124. 144. 149. 154. 159. 164. 169. 174. 179. 184. 189. Quae apud alios feruntur similia et perpauca sunt et longe maximam partem e fontibus Graeci sermonis hausta cf. Lachm. l. n. p. 163.

b. Monosyllaborum brevi vocali comprehensorum quae cum correptis sequentis dictionis vocalibus poeta concurrere fecit, nulla certae fidei exempla inveni nisi quatuor his locis LXIIII, 145. 254. LXVIII a, 37. LXVIII b, 87. Totidem fere habet in hoc elisionis genere exempla Lucretius. — Multo vero minorem cautionem adhibuit Catullus in brevium monosyllaborum collisione cum vocali producta ut docebunt testimonia illa locorum I, 5. XIII, 11. XV, 18. XXVIII, 4. XXXVIIII, 3. LVII, 8. LXII, 45. 56. *cum interea* LXIIII, 305 in primo pede hexametri, ubi perraro locus est synaloephes. porro LXV, 22. LXVII, 42. LXVIII a, 16. LXXX, 8. LXXXVI, 6 item in prima versus sede. denique *dum omnia* CXIIII, 5. — Parcior est in eo genere quo correpta monosyllabi vocalis commiscetur cum producta monosyllabi. Nam quatuor tantum exemplis syllabas coeuntes ita elisit II, 2. XXXXIIII, 14.

LXIIII, 216. 305 quibus adiici potest LVIIII, 2.[1] — Jam de longae monosyllaborum vocalis in brevem syllabam elisione praeclare disputavit M. Hauptius observ. crit. p. 16 sqq. cum aliorum poetarum tum Catulli consuetudine adumbrata. Nihilo tamen secius quoniam non ita hanc quaestionem quoad Catullum attinet tractavit, ut omnibus eam numeris absolveret, deinde cum errores aliquot et codicum et editorum refutandi sint, denuo illam rem attingendam putavi de qua copiosius mihi expositurus esse videor, cum praesertim vel hanc ob causam poetae carmina pervolutaverim.

Jam igitur ut de monosyllabis primum ordiamur, vocales eorum in exitu longas cum brevibus elisione copulavit sic: in iambis semel certo *te adibit* VIII, 16; alterum enim quod ibid. 15 Hauptius coniecit *te ibi* pro librorum *tibi* scriptura nec hac melius est et ipse postmodo reiecit. In trochaeis dixit X, 7: quomodo se haberet. ibid. 28 me habere. XII, 4: fugit te, inepte post interpunctionem quod rarius evenit. Tandem in dactylis aliquanto saepius synaloephe obscuravit haec monosyllaba: te odio XIIII, 3. te ego certe LXVI, 25 (ubi illud *te* a codicibus omissum recte addidit Vossius). quin tu animo LXXVI, 11. in se habet CXIIII, 2.

His accedunt plurium syllabarum vocabula isto modo conliquentia quae sunt: fuisti in ultima XXVIIII, 12. unctei et ultima ibid 4. Egnati, opaca XXXVII, 19 post interpungendi signum. risu inepto XXXVIIII, 16. nimio odio LXIII, 17. In trochaeis scripsit: quare habe I, 8. peraeque et hic et ille VI, 9. ab illo amari XXIIII, 6. voluisti amare XXXX, 8. sinistra ut ante XXXXV, 8. 17. gemelli utrique LVII, 6. Ne in glyconeis quidem et carminibus Sapphicis poeta hanc elisionem devitavit (Hauptius enim l. c. p. 18 non recte iudicavit), quod demonstrant: quare age LXI, 26. virgo ades ibid. 77. Furi et Aureli XI, 1 in carmine Sapphico. Longe autem frequentissima est in dactylis synaloephe horum vocabulorum

---

1) In enumerandis monosyllabis vel longa vocali vel *m* litera terminatis quae synaloephen admittunt, L. Muellerus de re metr. p. 283 duas ut in Catullo me contineam particulas *ne* et *dum* praetermisit. Atque huius quidem elisae paulo ante notavimus haud pauca exempla, illam vero bis delitescere fecit Catullus ante vocalem productam in LXVIII[a], 14 ac LXXIIII, 3.

quae omnia in media dactyli syllaba ubi minus insuavis est concurrentium syllabarum sonus, vocales longas et breves collidunt. Exempla vero haec sunt: octo homines X, 20. feci ego XIIII, 4. paedicabo ego XVI, 1. 14. ebriosa acina XXVII, 4., fortasse etiam huc spectat: illa si qua alia LXIIII, 16 quod Lachmannus suspicatus est satis probabiliter. Porro LXIIII, 70 toto animo. ibid. 149 certe ego. 372 quare agite. LXVIII[a], 40 ultro ego. LXXIII 4 immo etiam. LXXXV, 1 odi et amo. CII, 1 fido ab amico. CXVI, 1 studioso animo[1]). Nec non in tertia dactyli syllaba, ubi maiorem ista elisio incommoditatem habet, vocales contiguas saepe ita coniunxit: argutatio inambulatioque VI, 11. perdite amo XXXXV, 3. ardui ibi LXVI, 59 ex opinione Hauptii. sentio et excrucior LXXXV, 2. perdito amore LXXXIII, 2. ploxemi habet LXXXXVII, 6. perdite amarem CIIII, 3. Denique semel hoc modo elisit diphthongum VII, 3 Libyssae arenae. Nam quod in vulgatis editionibus simile fertur exemplum Europae Asiaeque LXVIII[b], 89 nec elegantius est quam ‚Asiae Europaeque' et arti poetae adversatur (cf. Schneider gr. Lat. I p. 135). Ceterum diligentissimi dactylicorum in hoc genere synaloephes fuerunt Lucretius Horatius Tibullus Propertius Ovidius, minus curiosi praeter Catullum Lucilius Vergilius Statius. — Postremo magna satis frequentia usus productam monosyllabi vocalem cum producta eiusdem voculae coartavit quod singulis locis probare nihil opus est, si quidem eius modi synaloephe nullam prorsus habet molestiam.

c. Venimus nunc ad elisionem vocabulorum iambicorum quae in vocalem exeunt. Neque vero in eo genere poetae Latini unam eandemque omnes rationem et tanquam regulam secuti sunt, sed pro ingenio ac studiis alius alia lege sese adstrinxit. Multi quidem sunt qui elidendis huius modi vocibus nullum omnino locum concesserunt (cf. Lachm. ad. Lucr. p. 199), plerique autem easdem vel in monosyllaba quae accentum non habent vel in hyperdisyllaba elidunt, pauci in disyllaba sive praepositiones sunt sive particulae copulativae. Sic in *atque* Catullus tribus exemplis certo elisit scribens

---

1) Num eodem etiam pertineat quod Hauptius obs. crit. p. 12 excogitavit *quare etiam* LXVIIIb, 91 dubium videri possit, certe magis placet Nic. Heinsii inventum *quaene etiam.*

XII, 2 in ioco atque vino. XXXXV, 3 amo atque amore. CI, 10 ave atque vale (de loco Quintiliani I, 6, 21 vide supra). — Iam monosyllaba quod attinet, solam *et* particulam nec non praepositionem *ex* cum iambicis verborum formis poeta conglutinavit cuius rei argumento sunt: faba et lapillis XXIII, 21. meo et Fabullo XXXXVII, 3. Cato et iocosam LVI, 1. modo e corona LIII, 1. quanta in amore tuo ex parte LXXXVII, 4. Praeter has voculas dubito equidem num recte Lachmannus l. n. p. 198 poetae adscripserit *ad* praepositionem, idem qui *et* particulam temere omisit. Nam quod semel X, 26 certe ‚volo ad Serapim' scripsit, licet illud *ad* minoris ponderis sit vocabulum, tamen non aliter nisi correpta verbi syllaba secunda uti potuit, quando quidem alias ubique *volo* pyrrhichiace extulit. — Porro de vocabulis hyperdisyllabis addendum est omnium maxime Catullo placuisse eorum cum iambicis vocibus copulationem. Quo in genere semel posuit trisyllabum LXII, 33: namque tuo adventu. longe saepius quadrisyllaba velut IIII, 17 tuo imbuisse. X, 2 e foro otiosum. XV, 8 in re—sua occupati. XXII, 7 novi umbilici. L, 1 die otiosi. CII, 4 puta Harpocratem. Ceterum eatenus quoque Catullum semel imitando expressit is qui Cirin scripsit versu 95: meo inficiunt. Quamquam vocabula iambi pedis mensura comprehensa omnes classici poetae diligenter caverunt ne per synecphonesin consociarent cum syllaba acuta qua insequens vox incipiat, semper ea in re hiatum praeferentes de quo paullo post agemus.

In universum certe negari non potest omne genus synaloephes molestum esse quiddam et prope intolerabile eoque maiorem versuum nitorem esse atque speciem quo aequalius procedant et quasi profluant nulla impediti difficultate vocalium consonarumque propria vi et indole quam maxime conservata. His igitur virtutibus quoniam minus praestat lingua Latina, poetae vero Latini et ipsi fuerunt auribus teretibus ac religiosis, non potuit sane fieri quin summo opere studerent elisionem a versibus suis excludere. In quo licuit iis remedio uti satis parabili, nempe truncatis verbi substantivi formis *es* et *est*. Verum enim vero quae poetarum olim scribendi ratio fuit ea maximam partem adeo obscurata et paene oblitterata est vel neglegentia vel caeco librariorum impetu, ut pro vetustate codicum mss. plura pauciorave etiam nunc supersint antiquae consuetudinis

vestigia, ex quibus genuina poetarum verba restitui possint. Et hoc quidem cum in alios tum praecipue quadrat in Catullum quem in illis voculis *e* literam suppressisse concedet si quis multiplices errores quos propter verba male intellecta scribae passim commiserunt, respexerit. Pertinet autem huc ante omnia quod Germanensi aperte traditum est: sic *certest* LXII, 8 unde conligere licet eodem plane modo poetam etiam dixisse LXXX, 7. deinde *figuraest* LXIII, 62 eademque ratione poetae cogimur bis adscribere malest XXXVIII, 1. 2: duobus enim locis peccarunt librari scribendo v. 1 male est si. v. 2 male si. et similiter literis *i* et *t* confusis *ipse si* pro *ipsest* CXV, 7 quod Froehlichius recte vidit. Nec dubitavit quisquam criticorum quin Muretus manum Catulli restituisset eo quod in LXIII, 49 pro librorum *maiestas* pulcerrime *maestast* emendavit cf. Hauptii quaest. Cat. p. 32. Hic vero ad quem nunc pergo, in LXII, 63 *patrist* coniectavit quod multis placere video idemque LXVIII^{b}, 159 *ipsost*. LXXI, 4 *mirificast* (cf. qu. Cat. p. 94) et LXXXXI, 10 culpast pro Datani *culpa et* lectione. Accedit quod Sckwabius homost CXII, 1 de coniectura posuit satis probabili.

His igitur exemplis quae partim disertae librorum traditioni partim certis nisi fallor virorum doctorum emendationibus debentur quaeque omnia voculam *est* vocali sua privatam produnt subiicere ea necesse est in quibus etiam formam *es* poeta ita mutilasse videtur. Sunt autem ex hoc genere duo potissimum exempla dictu memorabilia scil. XXXIIII, 23: *ut solita's* loco eius quod in Santenii codice inest *ut solitas es* (cf. L. Mueller p. 303) et LXVI, 27 *adepta's* quod e librorum *adeptus* revocavit Lachmannus cf. ad. Lucr. p. 67. Hinc certo effici mihi videtur in thesi hexametri sexta quae perraro elisionem recipiat (cf. L. Mueller de re metr. p. 296) Catullum non modo *locuta's* LXVI, 29. *ipsost* LXVIII^{b}, 159. *dolorist* LXXXXVI, 5 (cf. Haupt l. n. p. 32). *inimica's* CX, 3 (cf. L. Mueller p. 303) dedisse, sed omnino declinasse vitiosam synaloephen[1]). — Iam vero quod ad pentametri exitum pertinet, omnibus cognita illa lex est a Lachmanno ad Lucr. p. 66 observata. Ibi enim cum neget poetas

1) Etenim in re simili poetam varias secutum esse rationes cum per se incredibile est tum magnopere cavendum ne librariis nimium confidamus quorum inconstantia et temeritate omnia licita esse videantur.

dactylicos velut Tibullum Propertium Ovidium Martialem alios elisionem sibi permisisse in ultima pentametri sede, itidem etiam Catullum putat scripsisse pollicitast LXVI, 10. pollicita's ibid. 34. culpa tuast LXVII, 14. dulce mihist LXVIII[b], 160. laetitiast LXXXIII, 2. Lesbia amata mea's LXXXVII, 2. meast ibid. 4 denique *m* litera cum *est* collisa in miserumst LXVIII[a], 30. Sed neque omnia sunt quae attulit in hoc genere exempla et valde ambigo num eius praecepto, si Catullum maxime considero, temere obsequendum sit. Certe in membranis poetae Veronensis nihil istius modi reperitur unde sumere aliquid ea in re liceat nec debet Catullo sine gravibus causis eadem lex imponi qua posteriores versus suos panxerunt. — Deinde non aliena est ab usu elisio vocabulorum quorum altero concluditur, altero incohatur versus heroicus. Verum longe maxima poetarum pars hanc licentiam ea condicione admisit, ut in fine versus nisi particulae copulativae *que* locum non concederet cf. L. Mueller p. 295. Atque hac ratione Catullus quoque binis dixit exemplis qualia sunt LXIIII, 298: inde pater divum sancta cum coniuge natisque | advenit caelo etc. CXV, 5: prata arva ingentes silvas saltusque paludesque | usque ad Hyperboreos cet. Molestam vero synaloephen e posteriore loco removere conati sunt Rossbachius et Bergkius, ille legendum ratus *latasque paludes*, hic suspicatus *salsasque paludes*. Videtur tamen alterum *paludesque* ut pote bonis libris traditum retinendum esse, quoniam vel superiore loco poeta talem elisionem usu probavit a nullo quantum scio homine erudito addubitatam. Ex ceteris dactylicis semel quidem Lucretius, saepius imitator eius Vergilius hoc genere synaloephes carere noluit. — Contra in aliis metrorum generibus multo frequentius Catullus versus adhibuit hypermetros ita quidem ut eos vel *m* litera vel quod vulgo fecit, vocali finiret. Sic in Sapphico hendecasyllabo XI, 19: nullum amans vere, sed identidem omnium | ilia rumpens. ibid. 22: qui illius culpa cecidit velut prati | ultimi flos. LXI, 122: flammeum video venire | ite concinite in modum. 142: unguentate glabris marite | abstinere. 147: sola cognita, sed marito | ista non eadem licent. 191: iam licet venias, marite | uxor in thalamo tibi est.[1])

---

1) cf. Lachm. ad Lucr. p 81 sq.

d. Quodsi synecphonesis unica certe res fuit qua poetae insuavem vocalium concursum quem hiatum vocare suevimus devitare possent, non tamen ubique a se impetrarunt, ut syllabas illo modo contraherent. At tantum aberat ut ex arbitrio poetae vocales in confiniis binorum vocabulorum contiguas distraherent, ut certarum legum severitatem quas violare optimus quisque veritus est, enixe sequerentur. Ita Catullus post monosyllaba legitime hiatum admisit in media dactyli syllaba, sed ea condicione ut constanter vocalem finalem corriperet. Exempla haec sunt: in hendecasyllabo Phalaecio LV, 4: ,te in circo, te in omnibus libellis'. ibidem 32: ,essem te, mi amice, quaeritando'. porro in versu heroico LXXXXVII, 1: ,non, ita me dii ament, quicquam referre putavi'. Similiter deinde poetae in plurium quoque syllabarum vocabulis quae iu longam vocalem vel diphthongum desinunt, non nunquam hiatum ponunt syllaba extrema modo servata modo correpta. Ac saepissime hoc fit in tertio pede versus dactylici, ubi caesura quinaria locum habet. Tale hiatus exemplum unum in libro Catulliano occurrit CVII, 1: ,si quicquam cupido optantique obtigit unquam', cui adnumerari etiam potest illud post pentametri caesuram ubi perraro hiatus licentia est iu LXVIII^{b}, 158: ,a quo sunt primo omnia nata bono'[1]). Aliud eius modi exemplum quod libri mss. tradunt, plane intolerabile esse iam Itali viderunt qui recte particula *ne* adiecta LXXXXVII, 2 sic emendarunt: ,utrumne os an culum olfacerem Aemilio' cf. Lachm. ad Lucr. p. 99 sqq.

At vero post voces in brevem vocalem exeuntes nulla poetae ratione videntur in altera thesi pedis dactylici hiasse: nam huic usui quae contraria aliquando reperiuntur, peccata sunt librariorum. Ita male habent codices et editiones priores III, 16: o factum male! o miselle passer pro ,io miselle passer' (cf. L. Mueller p. 306). Praeterea certe non scripsit Catullus XXXVIII, 2: ,malest me hercule et laboriose' quamquam nihil in praesentia habeo quo locum emendare possim. Lachmannus quidem (cf. comm. Lucr. p. 152) post *hercule* censuit excidisse dativum *ei* adversante nescio an recte L. Muellero de re metr. p. 254, qui

---

1) nisi forte recte iudicavit M. Hauptius qu. Cat. p. 86 post *primo* legendum esse *mi* id quod facile sane excidere potuit cf. etiam ind. lect. Berol. aest. a. 1857 p. 6 et L. Mueller de re metr. p. 332.

mehercules legendum proposuit ad exemplum illud Phaedri fab. VI, 9, 3. Silligius eique qui adstipulatus est Froehlichius post particulam *et* omissum esse putaverunt *est* illud, quod Schwabius probavit et in textum recepit. In re incerta quis verum indagasse videatur diiudicare non ausim, licet haud diffitear magis mihi arridere Silligii inventum. —

Porro de vocabulis iambicis monendum est optimos poetas hac lege se astrinxisse, ut ubicunque constarent ante syllabam acutam, semper cum hiatu ea proferrent. Hunc morem Catallus probavit duobus exemplis qualia sunt LXVI, 11: ‚qua rex tempestate novo auctus hymenaeo'. CXIIII, 6: ‚saltum laudemus, dum domo ipse egeat' de praeclara coniectura Lachmanni (cf. eundem ad Lucr. p. 196.) Itidem in vocibus creticum pedem efficientibus cum aliis poeta hiatum sibi permisit, veluti semel hoc modo dixit LVII, 7: ‚uno in lectulo erudituli ambo'.

Ultra has quas tractavimus quaestiones progredi spatium prohibuit huic dissertatiunculae concessum. In iis autem quae nunc ad finem mihi perduxisse videor, si quid censebor praestitisse quod ad consuetudinem Catulli in rebus grammaticis prosodiacisque inlustrandam pertineat nec non ad verba eius restituenda conducat, magnopere laetabor.

VITA.

Natus ego sum Adolphus Reeck die XX mens. Febr. anni h. s. XLV Arnswalde in oppido Marchico, patre Ernesto iam dudum dolenda morte mihi abrepto, matre Guilelmina e gente Zierath. Fidem profiteor evangelicam. Primis elementis in ludo litterario urbis patriae imbutus anno aetatis XV Vratislaviam me contuli ibique mense Aprili in gymnasii Elisabetani quod etiam nunc floret Caroli Fickerti viri summi auspiciis, ordinem quintum sum receptus. Post sex annos totidemque menses testimonium maturitatis rite nactus m. Oct. anni h. s. LXVI Rossbachio v. ill. tunc fasces tenente hanc adii universitatem Viadrinam. Philosophorum ordini adscriptus docentes audivi vv. ill. Braniss Haase Hertz Junkmann Neumann Reifferscheid Rossbach Rueckert Schultz. Per duo semestria interfui consessibus seminarii regii philol. extraordinarii quos moderabantur Hertz et Reifferscheid vv. ill., tum per semestre sodalis fui seminarii philol. ordinarii, quod iidem regebant viri doctissimi. Ex illis autem omnibus quorum insignia sunt de studiis meis merita, plurimum debeo Hertzio et Rossbachio vv. ill., qui cum splendidissima doctrinae suae copia tum privatis consiliis summa humanitate me adiuverunt. Quare nunquam ego desinam pia grataque memoria eos prosequi. Denique fas est fratri mihi carissimo cuius singulari quadam liberalitate ac benignitate factum est, ut non modo gymnasii frequentandi beneficio frui, sed etiam studiis academicis operam navar possem, gratias agere quam maximas.

THESES.

1. Cat. LXVIII[b], 63 sic legendum puto:

   Hic *veluti* nigro iactatis turbine nautis
   lenius aspirans aura secunda venit.

2. Cat. LXXXVII, 3 recte Froehlichius adstipulatus est Doeringii coniecturae:

   Nulla fides ullo fuit unquam *in* foedere tanta.

3. Soph. Trach. vv. 56/57 ita scripserim:

   μάλιστα δ' ὅνπερ εἰκός, Ὕλλον, εἰ πατρὸς
   νέμειν τιν' ὥραν τοῦ καλῶς πράσσειν δοκεῖ.

4. Soph. Phil. 859 pro tradita lectione *ἀλεὴς ὕπνος ἐσθλὸς* optime G. Hermannus *ἀδεὴς ὕπνος ἐσθλὸς* emendavit.

5. In carminibus Catulli recensendis nimis caverunt viri docti, ne formas verborum poetae adscriberent elegantiore posteriorum usu improbatas.